Digitized by Google

CHRISTIANI GVILIELMI THILONIS

S. S. THEOL. CVLT.

COMMENTATIO DE EPISCOPIS INTER PROTESTANTES

LIPSIAE

EX OFFICINA STOPFFELIANA

MDCCXXXXVIII

Digitized by Google

Digitized by Google

QVVM ea ſit omnium ſocietatum indoles atque natura, vt ſine imperantibus praefectiſque conſiſtere nequeant: non eſt, quod miremur, eccleſiam quoque omni tempore ſuos habuiſſe praeſides, quibus, tanquam firmiſſimis columnis, lapide angulari Chriſto, ſalus ipſius externa fulta ſtetit, & arctiſſima illa colligatio, qua cum Chriſto, tanquam capite, coniungitur, irrupta atque indiuulſa permanſit. Exinde igitur originem ſuam duxit hierarchia eccleſiaſtica, cuius mentionem vel in ipſis litteris ſacris iniectam eſſe deprehendimus. Καὶ αὐτος, dicit S. Paulus *a*), *εδωκε τους μεν αποςολους, τους δε προφητας, τους δε ἐυαγγελιςας, τους δε ποιμενας και διδασκαλους*. Largiſſima hic dicendarum rerum meſſis mihi ſe offerret, ſi ipſi falcem immittere eſſet animus. Sed quum iam id a celebratiſſimis viris ante me factum ſit: *b*) cohibebo animum & impetum ad aliud quidpiam non ita ſermone tritum & peruulgatum mihi ſeruabo integrum. Vt itaque aditum mihi ad rem meam dicendam aperiam: neceſſe eſt, vt moneam, Epiſcopos poſt Apoſtolorum tempora in hierarchia eccleſiaſtica principem tenuiſſe locum, ipſiſque ſanctiorem coetum in rebus, quae ad fidem ſanctosque mores ſpectant, dicto fuiſſe audientem. Neque tamen eorum adſtipulor

a) Epheſ. IV, 11.

b) ZIEGLERVS, HILDEBRANDVS, ADAM RECHENBERGIVS, BOEHMERVS, SALMASIVS, DAVID BLONDELLVS aliique complures.

lor ſententiae, qui hanc falſiſſimam opinionem animo imbiberunt, ipſamque tenent mordicus, presbyteros iure diuino fuiſſe epiſcopis inferiores, illorumque poteſtatem, quoad iurisdictionem, non tantum ob traditum antiquitus morem, ſed prorſus diuinitus anguſtioribus circumſcribi limitibus, quam quidem epiſcoporum. Cohibent aſſenſum contrariumque edocent illuſtria illa dicta Act. XX, 17. Phil. I, 1. 1 Cor. XII, 28. (conf. Eph. IV, 11.) 1 Tim. III, 1. IV, 14. Tit. I, 5. 1 Petr. V, 1. 2 Ioh. v. 1. 3 Ioh. v. 1. *c*). Haec profecto loca ſi ſuis momentis, vti par eſt, penſitabuntur: luce meridiana clarius oſtendent, presbyterum aeque ac epiſcopum in apoſtolica eccleſia vnam eandemque ſuſtinuiſſe perſonam. Euaneſcit igitur omnis dubitatio & in terram cadunt irrita iſta tela, quibus aduerſarii conſecrationem noſtrae eccleſiae miniſtrorum euertere allaborant. Verum enimuero quemadmodum eccleſia, vti omnis aequi iuſtique, ſic etiam ordinis inſigniter amans eſt atque obſeruans: ita quoque facile paſſa eſt, immo ipſa auctor extitit, vt presbyteris vnus aliquis praeficeretur, qui tanquam in ſpecula eſſet conſtitutus, vt videret, num quoque presbyteri, & reliqui eccleſiae miniſtri omnes officiorum partes rite explerent, ne fortaſſe ſanctiſſima iſta reſpublica aliquid detrimenti capiat.

Videmus ergo in Proteſtantium quoque eccleſia huius rei ſapientiſſime fuiſſe rationem habitam. Dantur enim & inter hos Epiſcopi vel (quam vocem poſterior in latinitatem inuexit aetas, commode tamen notionem ἐπισκόπȣ explanat) Superintendentes. Deinde eadem eccleſia prouidit, vt, vbi neceſſitas id exigeret, ipſis Epiſcopis & Superintendentibus praeficeretur Archiepiſcopus & Superintendens gene-

c) v. b. IOANNIS GERHARDI *Confeſſio catholica*, L. II. Part. II. artic. VI. Cap. III. vbi id 1) ex ſcriptura ſacra, 2) ex quibusdam iuris pontificii canonibus, 3) ex ſcholaſticis doctoribus, 4) Gloſſis bibliorum, 5) Virorum Purpuratorum aliorumque pontificiorum ſcriptorum effatis, 6) ex apoſtolicae & primitiuae eccleſiae conſenſu, & tandem 7) ex quibusdam aduerſariorum hypotheſibus inuicte demonſtrat. Confer. etiam RECHENBERGII *Diſſ. de titulis & gradibus eccleſiaſticis* Tit. V. §. 1. 4. 8. 9. & Viri ſumme Venerabilis WALCHII, (quem fata in emolumentum tum noſtrae eccleſiae tum totius reipublicae litterariae ſeruent diutiſſime, vt & inpoſterum ipſius patrocinio frui queamus, quod nobis continuandum Virum ſumme Venerabilem maximis poſcimus precibus;) *Introductio in libros ſymbolicos* l. 1. c. III. §. XLVIII. p. 385. c. V. §. XVI. p. 520. ſeq.

Digitized by Google

generalis. Exulant tamen apud nos, quod diſſimulari nequit, Metropolitae & Patriarchae, quod ſecus apud Pontificiam & Graecanicam eſt eccleſiam. Sed quum Archiepiſcopus ab Epiſcopo, etiam inter Proteſtantes, de quibus nobis hic potiſſimum eſt ſermo, in eo tantummodo differat, quod alter alterius aliqualem inſpectionem habeat: generatim ſub voce Epiſcoporum complexi fuimus tum Archiepiſcopos tum Epiſcopos. Et quamquam antea diximus Archiepiſcopis reſpondere Superintendentes generales, Epiſcopisque Superintendentes: tamen quoniam vſus harum vocum aliquam differentiam inter ipſos inuenit; hic nobis tantummodo res erit cum Epiſcopis, qui inter Proteſtantes hac illuſtri dignitate ſunt conſpicui.

Sed quando oculorum meorum circumfero aciem; in ſex potiſſimum regionibus, in Magna videlicet Britannia, Suionia, Dania, Boruſſia, Polonia & denique Tranſyluania, epiſcopos inuenio. Nam res eſt manifeſta, in Germania, cuius partes antea quoque Belgium & Heluetia fuerunt, dari nullos. Quaecunque igitur a me dicentur, natura id exigente, ad ſex redigentur capita. Sed ſi fortaſſe his omnibus partibus non ſua conſtaret aequalitas: memento, quaeſo, orationem rebus, non res orationi debere accommodari.

Poſteaquam hodierno tempore tria iſta regna Anglia, Scotia & Hibernia, quae antea fuerunt diuiſa, in vnum coaluerunt: neceſſitas a nobis flagitat, vt de cuiuslibet horum regnorum epiſcopis agamus ſeorſim. Primo itaque in theatrum prodeant epiſcopi Anglici. Horum hiſtoriae vt ſuus conſtet ordo atque claritas: videtur res ex alto repetenda. Scilicet HENRICVS VIII. omni ope annitebatur, vt legitima ratione repudiare ipſi liceret viduam fratris ſui, CATHARINAM, FERDINANDI regis Hiſpaniarum filiam, cum qua iuſſu patris EDVARDI V. inuitus matrimonium inierat. Sed quoniam CLEMENS VII. Pontifex Maximus voluntati regis ſubſcribere nulla prorſus ratione permoueri poterat: regnum ſuum ex poteſtate Pontificis eripere decreuit. Et proinde ſe anno CIↃ IↃ XXXV. caput eccleſiae Anglicanae declarauit. Quantum ſanguinis propterea effuſum ſit: loquuntur Anglicarum hiſtoriarum monumenta; & ſufficiat hic tantummodo FISCHERI, epiſcopi Roffenſis, & THOMAE MORI, regni Anglici cancellarii, triſtiſſima ſupplicia allegaſſe. *d)* Interim ſi

d) BENTHEMII Engliſcher Kirchen- und Schulen-Staat c. VII. §. 12. p. 152. conf. etiam PVFFENDORFFII *Hiſtor. Stat. Europae.*

Digitized by Google

ſi dicendum, quod res eſt, ipſa Anglicae eccleſiae doctrina, praeter palmarium iſtud dogma de auctoritate Papae, quae prorſus proſtrata atque conculcata ibi iacebat, non adeo erat diuerſa a Romanenſis eccleſiae placitis. *e*) Simulac vero poſt ſextuplex matrimonium & maximam partem inauſpicatum fatis fungeretur HENRICVS, filioque ſuo, quem ex IOANNA SEYMVR, tertia ſua coniuge, ſuſceperat, EDVARDO VI. regnum relinqueret: tum demum purior religio in Anglia caput efferebat, Miſſaque pontificia prorſus proſcribebatur. *f*) PETRVS MARTYR & MARTINVS BVCERVS arceſſebantur in Angliam, qui ſocio & gubernatore CRANMERO, archiepiſcopo Cantabrigienſi, emendarent ſacra; & ceremonias, quae ſuperſtitionem ſapiunt, vel tollerent, vel in melius corrigerent. Sed id temporis magna tempeſtas ac procella ingruebat, quae in epiſcopos praeprimis ſaeuiit. Scilicet IOANNES CALVINVS ſua ſponte operam in emendandis ſacris ſpondebat, quod litteris ad CRANMERVM aliosque datis declarauit: ſed neſcio quam ob cauſam rex & CRANMERVS eam oblatam operam ſpernebant. Contemtus iſte ipſius vehementer exacerbauit animum, Anglicaeque eum eccleſiae reddidit alienum, quin effecit, vt deinde ipſius amici, & qui ab eius partibus ſtabant, epiſcopis omni ratione nocere ſtuderent. Sed maximus tamen auctor huius calamitatis, quae Epiſcopos Anglicos adflixit, fuit IOANNES ALASCO, Polonus, inquilinus Angliae, qui inprimis multos auertit ab obſequio & reuerentia, quam alias Angli ſuis epiſcopis praeſtabant. *g*) Exorti nempe ſunt, ſucceſſu temporis, *Presbyteriani*, qui ſe infenſiſſimos hoſtes omnium epiſcoporum declararunt. KNOX, GVILIELMVS WHITTINGHAM, THOMAS SAMPSON, GILBY, LAVRENTIVS HVMPHRID, THOMAS CARTWRIGHT & HANDIMAN ſunt praecipui iſti, qui huic familiae condendae anſam & occaſionem praebuerunt. *h*) Inter quos vero eminet THOMAS CARTWRIGHT, Theologus Cantabrigienſis, collegio S. S. Trinitatis adſcriptus, & Profeſſor collegii Margarethani: quo obſtetri-

e) BENTHEM, l. c.

f) De tota hac re legi merentur IOANNIS FOXII *Acts and Monuments of the Church*, London 1684. 3. Vol. PETRI HEYLYN *the reformation of the Church of England.* GISBERTI BVRNETII *Hiſtory of Reformation*, London 1681. 2. Vol. fol. V. BENTHEMII Engliſcher Kirchen- und Schulen-Staat c. VII. §. 19. 21. 22. p. 157. ſeq.

g) BENTHEMII Engliſcher Kirchen- und Schulen-Staat, c. XXV. §. 1. 2. 3. 4. p. 507. ſequ.

h) Ibid. §. 5. 6. 11. 12. p. 510. ſeq.

Digitized by Google

obſtetricante partus iſte anno CIↃ IↃ LXVIII. fuit excluſus. *i*) Sed omnibus tamen reliquis calamitatibus multo anteibant iſta mala, quae epiſcopos infeliciſſimo illo tempore manſerunt, quo inteſtinum ac ſceleratiſſimum bellum CAROLI I. temporibus in Anglia exarduit. Nam quod epiſcopi, officiorum ſuorum & obſequii regii memores, nullo pacto poterant adduci, vt desererent regem diuinitus datum: publicum regni conſilium, quod vulgo Parliamentum appellatur, flagitioſiſſime omnem epiſcopalem abrogauit dignitatem. Quum etiam huic ſceleſtiſſime rogatae legi epiſcopi intercederent: duodecim ex iis carcere concluſi fuerunt. Quanta mala haec mutatio eccleſiae Anglicanae inuexerit; verbis exprimi haud quaquam poteſt. Nam vere poteſt affirmari, omnes iſtas diuerſas familias & diſciplinas in religione, quarum inprimis hodie Anglia ferax eſt, ab iſta commutatione, tanquam ex fonte, dimanaſſe. Iſto enim tempore originem ſuam acceperunt ii, quos *Independentes* appellant, qui in ſacris omnem ordinem ac ceremonias reſpuebant, & Epiſcopalibus perinde atque Presbyterianis erant inimici. Eodem temporis articulo exorti fuerunt homines iſti nequam, qui apud Anglos dicuntur *Ranters*, quorum dogmata blasphemiis & maximis execrationibus erant plena, vita vero turpiſſima, omnibusque flagitiis contaminata. Cum his eodem tempore conſpirabant *Vaniſtae*, ab HENRICO VANE, procuratore & praeſide Angliae nouae, ita appellati. Praetereo breuitatis ergo alias eiusmodi haereſes, quibus itidem haec inauſpicata tempora initia ſua dedere. *k*) Nihilominus epiſcopis, licet exauctoratis, adhaerebant complures adhuc inter Anglos, qui videlicet aequitatis, iuſtitiae, pietatisque erant amantes; & quoniam templa ipſis occluſa erant, coacti fuerunt priuatis in aedibus conuenire, ibique ſecundum antiquam conſuetudinem & formulam iſtam litteris conſignatam,

i) D. RICHARDI BANCROFT *A ſurvey of the pretended Holy diſcipline, containing an hiſtorical narration of the Beginnings, ſucceſs, proceedings, Authority and Doctrine of it.* 1593. 4. EIVSD. *Dangerous Poſitions and Proceedings, published and practiſed Withintis Island of Britain under pretence of Reformation; and for the Presbyterial-Diſcipline,* 1593. 4. RICHARDI COSINI *Conſpiracy for pretended Reformation,* London 1699. 8. V. BENTHEMII Engliſcher Kirchen-und Schulen-Staat, cap. XXV. §. 13-35. p. 514. ſeq.

k) BENTHEMII Engliſcher Kirchen-und Schulen-Staat, cap. XXV. §. 37-50. p. 535. ſeq.

gnatam, quam Liturgiam *l*) vocant, Deum pro auertenda calamitate orare. Sed neque id diu ipſis relinquebatur liberum, ſiquidem regni ſenatus CIↃ IↃCLV. carceris poenam omnibus iis irrogabat, qui ſecundum Anglicam Liturgiam in aedibus priuatis ſacra celebrarent, ipſisue intereſſent. *m*) Sed quemadmodum varia commutabilisque vita eſt hominum, & vaga atque volubilis fortuna: ita ſimile quidpiam Presbyterianorum factio experta eſt. Poſt quindecim enim annorum exilium, per quos epiſcopi proſcripti fuerant, illuxit tandem illud tempus, quo iterum proſpera, multis exhauſtis laboribus atque aerumnis, experirentur fata. CAROLO enim II. in regnum ſuum reduce facto: redux ſimul fiebat epiſcopalis dignitas. Non neceſſe eſſe arbitror, vt multis verbis commemorem, quanto ſtudio & labore CAROLVS II. Epiſcopales & Presbyterianos ad concordiam adducere annifus fuerit, & propterea non ſolum colloquia, ſed etiam ſynodum a. CIↃ IↃCLX. inſtituerit: ſiquidem omnia iſta incepta erant irrita, ſucceſſuque carebant. Nam ingenia plerorumque hominum ita ſolent eſſe comparata, vt ſi ſemel opinione quadam, quam pro ſancta & religioſa habent, imbuta ſint: hanc acerrime defendant, neque ab ipſa dimoueri ſe patiantur. Haec de hiſtoria Anglorum epiſcoporum delibaſſe ſufficiat. Verum multa mihi adhuc reſtarent dicenda de conſecrationibus eorundem, neque celebri illi liti, quae per aliquot tempora ingenia hominum exercuit, immiſcere poſſem. Quaeritur videlicet, an tempore repurgationis ſacrorum linea ordinationis i. e. ſucceſſio concatenata in Anglicis epiſcopis, irrupta permanſerit? An MATTHAEVS PARKERVS, primus omnium Proteſtantium in iſta ora epiſcopus, rite & ordine conſecratus fuerit?

Quodnam

l) *De Liturgia* generatim, *vetere & noua*, lectu digniſſimum librum confecit Vir, poſt fata etiam ſummo a me colendus honore, M. IOANNES FRIDERICI, Eccleſiarum Tautenburgicarum Superintendens. Eo maiori auiditate hanc arripui occaſionem commemorandi huius laudatiſſimi ſcripti: quo maioribus promeritis & paterno vere affectu me longo abhinc tempore Vir ſumme Reuer. M. IOANNES CHRISTOPHILVS FRIDERICI, IOANNIS filius, vti muneris, ita etiam virtutum paternarum ex aſſe haeres, benigniſſime proſecutus eſt. Gratum omni tempore pro tantis beneficiis ipſi ſpondeo animum, neque committam, vt vnquam obliuio me tantae beneuolentiae capiat. Potius maximis Deum adibo precibus, vt ipſum cum ſplendidiſſima ſua gente per longam annorum ſeriem ſaluam & incolumem ſeruet atque tueatur.

m) V. BENTHEM. l. c. §. 46. p. 544.

Digitized by Google

Quodnam ſtatuendum ſit pretium fabulae iſti cauponariae de conſecratione huius viri, quae a D. MATTH. KELLISONO, Collegii Anglicani Duacenſis praefecto, CIↃ IↃC III. primum confiſta *n*); a CHRISTOPHORO HOLYWOOD, ſeu vt latine dicitur a SACROBOSCO, fratre Ignatiano, magis expolita *o*); & denique a ROBERTO PERSONS, itidem ſocio Ignatiano magni nominis *p*), & HENRICO FITZ-SIMONE, ex eadem ſocietate *q*), ſexcentiſque aliis repetita fuit? Sed tum anguſtiae plagellarum, tum etiam elegantiſſimum & eruditiſſimum ſcriptum D. OLAI KIOERNINGII, quod, praeſide MOSHEMIO, ornamento atque lumine totius Germaniae praeſtantiſſimo, pro ſummis in Theologia honoribus obtinendis litteris conſignauit, & in quo ordine & diſtincte hanc rem totam tradidit *r*): haec dico me prohibent, quo minus diutius huic materiae inhaeream *s*).

Potius iam viam mihi paro ad epiſcopos Scotos & Hibernos, in quorum hiſtoria pertexenda propterea potero eſſe brevior, quoniam non adeo multa memoratu digna, quantum ego quidem memini, de ipſis invenio. In vulgus notum eſt, Presbyterianos in Scotia principatum obtinere. Ita, vt quamquam non tam immites atque ſaeui fuerint, vt prorſus epiſcopos eiicerent atque exterminarent, quod quidem aliquando in Anglia factum eſt: quiuis tamen facile coniectura aſſequi poſſit, debilem, mancam atque infirmam epiſcoporum fore poteſtatem, dominis atque tyrannis Presbyterianis. Epiſcopi quidem, pro fortitudine animorum, nihil intentatum reliquerunt, quo

n) *In the ſurvey of the new religion* p. 374. *conf.* COVRAYERI *Defenſe de la Diſſertation* T. I. L. II. p. 274.

o) *De inueſtiganda vera & inuiſibili Chriſti eccleſia*, Antwerp. 1604. 8. c. IV. p. 68.

p) *Diſcuſſion of Mr.* BARLOW'*s anſwer to the iudgment of a Catholick-Engliſhman concerning the oath of allegiance*; in praefatione diſcuſſioni huic praemiſſa, p. 135. Audomari hic liber poſt obitum auctoris a THOMA FITZ-HERBERTO, Ieſuita Anglo, anno 1612. in 8vo luci publicae expoſitus fuit.

q) *Britannomachia miniſtrorum in pleriſque & fidei fundamentis & fidei articulis diſſidentium*, Duaci 1614. 4. p. 321. De his tribus Loioliitis, eorumque vita & ſcriptis v. PHILIPP. ALEGAMBE *Bibl. Scriptor. Societ. Ieſu*, p. 77. 172. 412. 433. conf. etiam de aliquot iſtis ANT. WOODI *Athenae Oxonienſes*, T. I. p. 356. 362. 651.

r) *De conſecrationibus epiſcoporum Anglorum*, Helmſtadii 1739.

s) De tota hac re conferri etiam merentur Viri Illuſtris de MOSHEIM *Inſtitutiones hiſtoriae Chriſtianae recentioris*, ſaec. XVI. ſect. I. c. III. §. IX. p. 62. ſeq. c. IV. §. IX. p. 74. ſeq.

Digitized by Google

quo debitam ſibi potentiam iterum recuperarent, ſed adhuc in conatu res ſubſtitit, quin veriſimile eſt, quod prorſus nullo vnquam tempore priſtina ipſorum auctoritas, tanquam ex inferis excitata, reſurget; poſteaquam in facta vnione & coniunctione duorum regnorum pactum fuerit, vt nulla alia, quam Presbyterianorum religio in Scotia princeps ac primaria per omne aeuum eſſe debeat. Quot dentur archiepiſcopi epiſcopique ibidem, commemorare, propterea ſuperuacaneum eſſe arbitror, quoniam haec notitia facili modo ex deſcriptionibus prouinciarum, quae vbique proſtant, hauriri poteſt, & haec etiam eſt cauſſa, ob quam omiſi eiusmodi catalogum pertexere in epiſcopis Anglicis *t*). Statim epiſcopos Hibernos ſubiungam, quod itidem de ipſis breuis erit ſermo meus. Premitur quidem maxima Hiberniae pars pontificiae adhuc iugo religionis: tamen Papicolae propterea caput efferre nequeunt, quoniam ipſorum magiſtratus aliis ſacris eſt deditus. Datur ibi multo maior numerus archiepiſcoporum & epiſcoporum Proteſtantium, quam in Anglia & Scotia. Sed ſimul ipſorum reditus neutiquam ſunt tam copioſi ac liberales, quam quidem in his duobus regnis. Interim hoc fatendum eſt, eosdem multo maiori aequalitate eſſe inter ipſos diſtributos, quam alibi.

Iam ordo tangit Suionicos. Ex mea quidem ſententia non alienum a propoſito erit, ſi itidem leui penicillo faciem eorum temporum, in quibus reformatio in Borealibus iſtis oris primum coepta eſt, adumbremus. Ante omnia igitur eſt monendum, epiſcopos id temporis tantas ſibi collegiſſe in iſtis prouinciis opes, tot poſſediſſe praedia, tot vrbibus atque caſtellis praefuiſſe, vt ipſorum potentia vel ipſis regibus inuidioſa eſſe potuerit. Poteſt id quoque perſpici ex praetenta cauſſa, qua FRIDERICVS I. vtebatur, cur tanquam rex Daniae foederi Smalcaldico adhaerere nequeat; dixit nempe, ſeſe, vt ducem Sleſuicenſem, lubenter velle foederi ſe adiungere; contra negauit, ſeſe hoc, vt regem Daniae, propter nimiam epiſcoporum poteſtatem facere poſſe *u*). Neque tamen diſſimulandum eſt, ſimul tam humiliter ipſos Pontifici Maximo ſeruiiſſe ipſiusque

t) Conferantur hic Illuſtr. MOSHEMII *Inſtitutiones hiſtoriae Chriſtianae recentioris*, ſec. XVI. ſect. I. c. IV. §. X. p. 75 ſeq. ſect. III. c. II. §. XII. p. 227. ſeq.

u) SLEIDANVS *de Statu religionis*, l. VIII. pag. 117. PONTOPPIDANI *Annales Eccleſiae Danicae Diplomatici*, P. II. L. 6. c. 1. p. 273. ſeq.

Digitized by Google

que iugum humeris ſuſtinuiſſe, vt pro arbitrio vel eorum eccleſias ſacris interdiceret vel maximam vim pecuniae pro redimenda vexa a dioeceſibus ipſorum extorqueret. Sed dicet quis, nonne hoc valet de omnibus omnino clericis, in quacunque orbis parte, quae Romanam fidem amplectitur, verſantibus? Id equidem negare non poſſum. Interim inſigne diſcrimen deprehendo; ſiquidem vel quod Borealium regionum incolas pingui aere natos aula Romana exiſtimabat, vel quod propter candorem animi facilius permoueri poterant ad ſubſcribendum voluntati Pontificis Maximi: propterea ſcopi inſtar erant, ad quem Romana tela dirigerentur, & ferme ſemper collinearent *x*). Sed licet abiecta ratione aulae Romanae ſeruirent, callebant tamen ſimul egregie artem iſtam, qua efficiebant, vt rudis plebecula, ipſorum ſtrophis decepta, magnam partem facultatum ſuarum in eorum vſum deſtinaret, & templis exaedificandis, epiſcoporum & reliquorum clericorum reditibus augendis atque amplificandis vnice eſſet intenta. Teſtes hic appello ſcriptores, qui temporum puriori religioni praecedentium condidere hiſtoriam *y*). Sed quamquam plerique adeo ſimplices erant animorum, vt fraudes non detegerent: complures tamen quoque erant, qui ſatis intelligerent, epiſcopis non tam rationem haberi ipſorum animarum, quam potius, quomodo participes reddi bonorum, quae poſſidebant, & hac ratione valentiores opulentioresque fieri poſſent. Propterea homines eo magis patulas praebebant aures, quum doctores ſurgerent, qui in maiori luce fraudes clericorum Romanorum ipſis ſiſterent & puriorem doctrinam, ab omnibus vitiis repurgatam, annunciarent. Quod igitur hic dixi, tum ad Suiones tum ad Danos pertinet: iam proinde ipſam hiſtoriam epiſcoporum in Suecia capeſſam. GVSTAVVS videlicet, rex Sueciae, ad cuius aures tum fama de reformatione Lubecae facta peruenerat, tum ipſe ſaniora edoctus a praeceptoribus fuerat, in Sueciam redux factus, par illud fratrum LAVRENTIVM PETRI & OLAVM PHASE, Nericienſes, in auxilium vocabat, vt, ipſis adminiſtris, reformatio ſacrorum fieret. *z*) Vterque iſtorum doctorum ab ore LVTHERI Vitembergae

x) PONTOPPIDANVS P. II. l. 5. c. 1. p. 4. ſeq. *Ibidem* l. 6. c. 3. p. 666. ſeq. memorabile illud iuſiurandum obſequii, quod SIXTVS IV. ab Clerico Electo Sleſuicenſi exegit, legitur.

y) Inſtar omnium laudari hic poteſt PONTOPPIDANVS l. c. P. II. l. 6. c. 1. *p.* 266. ſeq.

z) v. Summe Reverendi HENRICI BENTZELII *Meletema hiſtoricum de Succeſſione*

gae pependerant & adeo ex ipſo fonte ſitim ſuam exſtinxerant. Quantum debeat Suecia his duumuiris, agnoſcunt omnes. Epiſcopi, etiamſi omnibus viribus eluctarentur, ne faſcia iſta infauſta, quae plurimorum oculos inuolueret, tolleretur, veritatisque lux, pulſis nebulis, pura ſiſteretur: tamen difficultatibus ineluctabilibus victi tandem agnoſcebant, ipſum Deum pugnare pro noua iſta, vti eam appellabant, doctrina. Exinde factum eſt, vt non pauci epiſcopi, qui reformationis tempore infulam ſacram geſtabant, & ab ipſis Romanenſibus ad id munus erant conſecrati, fauere tandem inciperent puriori doctrinae. MESSENIVS *aa*) affirmat, GVSTAVVM regem vacantibus IV. regni cathedris totidem nominaſſe candidatos, ſuffragiis cleri adhibitis, atque Vpſalienſi eccleſiae praefeciſſe M. CANVTVM, regis Archi-Cancellarium, Stregnenſi MAGNVM SOMAR, Scarenſi M. MAGNVM HARALDVM & Aroſienſi PETRVM IACOBI; eorumque per litteras a Pontifice Maximo GREGORIO confirmationem impetraſſe. Itemque PETRVM MAGNI a Pontifice conſtitutum fuiſſe epiſcopum Aroſienſem, qui, rite ad hoc munus conſecratus Romae *bb*), plurimos ipſe ordinauit epiſcopos reformationem inceptam gnauiter poſtea promouentes *cc*). Extat verſiculus, quem de ſe ipſo iſte alter PARKERVS Suionenſis fecit:

Per me ſacratus non paucus epiſcopus exſtat
Quorum nonnulli deſeruere fidem.

Recenſentur a MESSENIO *dd* nominatim MAGNVS SOMAR, MARTINVS SKYTTE & MAGNVS HARALDVS, qui ab ipſo anno CIϽ IϽ XXVIII. fuerunt conſecrati. Exinde perſpicuum eſt, quod ſucceſſio Canonica etiam in Suionia obtineat *ee*).

Aliter ſe res habet apud Danos. Omnibus enim Romanenſibus epiſcopis anno CIϽ IϽ XXXVI. facto in comitiis illo tempore Haffniae celebratis decreto, ab officio ſuo remotis, ipſorumque bonis fiſco addictis

dictis

ceſſione epiſcoporum apud Euangelicos, ex edit. Viri Magnifici, Patroni noſtri ad cineres colendi, IO. ERHARDI KAPPII, Francof. & Lipſiae 1745. T. I. p. 564.

aa) *Scandia illuſtrata*, T. V. p. 7.

bb) Teſtatur hoc *Diarium Vadſtenenſe*, p. 178. allegante ſumme Rever. BENZELIO l. c. p. 569. vbi etiam MESSENII allucinatio indicatur, quum pro CLEMENTE VII. GREGORIVM ſcripſit.

cc) MESSENIVS T. IX. *Scand. illuſtr.* p. 49.

dd) *Chron. Epiſc.* c. XII. itemque *Scand. illuſtr.* T. X. p. 24.

ee) Summe Rev. BENTZELIVS l. c. p. 569.

Digitized by Google

dictis *ff*): anno proxime inſequenti alii epiſcopi Euangelici, iuſſu regis & conſiliariorum regni, deſignabantur *gg*). Conſecratio vero ipſorum a D. IOANNE BVGENHAGIO d. 2. Septembris eiusdem anni inſtituebatur in templo Haffnienſi, quod dicitur *die Frauen-Kirche hh*). Titulus archiepiſcopi prorſus obſoleuit, & ipſorum poteſtas ne vmbram quidem antiquae epiſcopalis refert. In hoc tamen aliquam praerogatiuam prae noſtrarum dioeceſium antiſtitibus obtinent, quod Danici epiſcopi ſubiectorum ſibi clericorum cauſſas, qualescunque illae ſunt, diſceptent, ipſisque ius dicant, & in rebus eccleſiaſticis iudices ſint non ſolum ſacerdotum, ſed etiam ipſius eccleſiae ſiue concionis hominum. Reditus ipſorum aeſtimantur duorum millium thalerorum. De epiſcopatibus, qui in ipſa Dania ſunt, P. WINSTRVPIVS *ii*) quosdam verſiculos, ſed non adeo propitio Phoebo, confecit:

Hos ſeptem tractus ſeptena χαρίσματα ſancti
Flaminis arctabunt glutine perpetuo.
Hos ſeptem tractus ſpectabunt lumina ſeptem
Chriſti: ab eis ſeptem transferet iſte mala.
Tractibus his ſeptem contra mala Pneumata ſeptem
Subuenient ſeptem Pneumata ſancta bona. cet. *kk*)

Ordine denique ſequuntur Boruſſici epiſcopi. Apud Boruſſos dantur duo praeſulatus, epiſcopatus nempe Sanmienſis & Pomeſaniae. Sed admodum interrupta fuit ſeries epiſcoporum, qui in his duobus tractibus fuerunt, quippe ſaepe accidit, vt epiſcopalis cathedra per multos annos vacaret. Catalogum omnium Boruſſicorum epiſcoporum Proteſtantium contextum leges in *Erlæuterten Preuſſen ll*). Quum FRIDERICVS *Magnus* primus conſecrari coronarique rex Boruſſiae vellet, & propterea VRSINVS epiſcopali dignitate ornaretur: haec res LEIBNITIO occaſionem praebuit, vt magno molimine pro epiſcopali dignitate iure poſtliminii in eccleſiam reducenda pugnaret.

 Duode-

ff) PONTOPPIDANI *Annales Eccleſ. Dan.* P. III. l. VII. cap. I. p. 10.
gg) Ibid. p. 11.
hh) ibid.
ii) *Epigramm.* L. II. p. 644.
kk) PONTOPPIDANVS l. c. p. 16. ſeq.
ll) T. V. St. XI. p. 728.

Duodecim inprimis concertauit rationibus, quibus regem Boruſſorum impellere annifus fuit, vt epiſcopatus inſtauraret. Multae ex his tantummodo ad regem Boruſſorum ſpeciatim pertinent; interim non arbitror, huic ſcriptioni alienum fore, ſi hic locum inueniant. I. Prima ratio deducta eſt a conſuetudine inueterata & omni laude digna, qua in eccleſia ab antiquiſſimis temporibus non perturbato ordine epiſcopi fuerunt creati atque conſtituti. II. Oſtenditur in Boruſſia iam fuiſſe epiſcopos Proteſtantes *mm*). III. Tertia ratio ab inſigni decore atque maieſtate ducta eſt, quae amplior maiorque in rege Boruſſico futura ſit, ſi adhuc praerogatiua accederet, ipſum epiſcopos propria auctoritate renouare poſſe. Illuſtratur hoc exemplo HENRICI *Leonis*, qui hac poteſtate non gauiſus fuerit, ſed a FRIDERICO I. aurea quadam bulla vim & poteſtatem Lubecenſis & Razeburgenſis epiſcopatuum renouandorum acceperit *nn*). IV. Difficultati cuidam obuiam itur, quae inde enaſcitur, quod epiſcopis magni reditus loco honorarii eſſent adſignandi, & oſtenditur, multos epiſcopos non tantummodo inter Graecos, ſed etiam inter Latinos & in Italia dari, qui non adeo in lauta re eſſent, ac multi inter aulicos concionatores. V. Aliud obſtaculum remouetur, nempe hoc pacto infringi ac debilitari poteſtatem epiſcopalem Principum Proteſtantium, dum oſtenditur, hanc auctoritatem tantum ad externa pertinere & propterea ipſam nullum detrimentum eſſe paſſuram. Teſtimonii loco Monarchia Siciliae, ipſius Pontificis Maximi auctoritas & denique iura regis Gallorum adducuntur *oo*). VI. Defectus epiſcoporum magnum creet contemtum eccleſiae Proteſtantium, & haec vnica ſit cauſa, cur tam pauci ex equeſtri ordine animum ad Theolo-

mm) Vid. libr. antea laud. Erläuterte Preußen, l. c.

nn) De diplomate FRIDERICI I. quo HENRICO *Leoni* permiſſum eſt, epiſcopatus renouare v. *Illuſtriſſimi Comitis* ABVNAW Leben und Thaten Friederichs I. p. 422. TOBIAE EKHARDI, Rectoris Quedlinburgenſis lib. *de auctoritate* HENRICI Leonis *circa ſacra in conſtituendis atque confirmandis epiſcopis ex hiſtoriae monumentis expoſita atque commonſtrata*, 1732. ubi p. 50. continetur diploma FRIDERICI I. ex MADERI *Antiquitatibus Brunſuicenſibus*, p. 121. v. *annotat.* Magnifici KAPPII ad libr. Sammlung Leibnitziſcher Briefe, Leipzig 1745. ad Epiſt. XLVII.

oo) Vberiorem dilucidationem & deſcriptionem Monarchiae Siciliae inuenies in IEREMIAE ACOSTAE (RICHARDI SIMONII) *Hiſtoire de l'origine et du progres des reuenus eccleſiaſtiques*, p. 133. v. laudati Magnifici KAPPII *annotata*, ibid.

Theologiam applicent. VII. Si quando noſtrates colloquiis propter religionem inſtitutis vel etiam Synodis intereſſe deberent: id multum eleuaturum eſſet ipſorum auctoritatem, quod ex altera parte viri illuſtri dignitate conſpicui, ex altera vero tantummodo mediocris ſortis homines ſint adfuturi. VIII. Si quando lux veritatis omnibus omnino occidentis oris illuceſcat: profecto iſtae eccleſiae, quae epiſcopis carerent, non poſſent ſeceſſionem facere ab iis, in quibus haec dignitas vigeret. Quum inprimis antiquo tempore tantummodo epiſcopis, excluſis reliquis clericis, conciliis intereſſe, & ibi ſuffragia ſua edere fuerit integrum. Quapropter ſatius eſſet hoc praecipere, ne fortaſſe nouum impedimentum exinde oriretur. IX. Quum fortaſſe, in eiusmodi redintegratione eccleſiae, de dioeceſibus ſecundum antiquos ſuos limites iterum proferendis, diſceptatio fieret, & exinde magnae turbae orirentur: huic rei poſſet obueniri, ſi nunc, re adhuc integra, terminis ſuis definirentur. Tunc enim pacis & concordiae gratia nulla propter hanc rem rixa eſſet oritura. X. Quoniam hoc modo validae conſecrationes noſtrorum eccleſiae miniſtrorum vel ex ipſa Pontificiorum ſententia futurae ſint. Vti id de Anglicana eccleſia negare non poſſunt, quamuis ἀπαιδεύτως diſtinguant inter actum validum, licitum & illicitum. XI. Linea ordinationis iterum reſarciretur, ſacerdotio ab epiſcopis rite conſecrato. XII. Multis dubiis hac ratione poſſit obuiam iri, quae nobis mouentur, quod ſacerdotes noſtri tantummodo a presbyteris, non vero ab epiſcopis conſecrati ſint. Hae ſunt inprimis rationes, quibus Illuſtr. LEIBNITIVS pro inſtauranda iterum dignitate epiſcopali depugnat. Non tantum nobis arrogamus auctoritatis, vt in hac re, de qua in vtramque partem a viris acutiſſimis diſputatum fuit, iudicium quoddam interponere ſuſtineamus. Interim inficias iri nequit, magni omnino ponderis ac momenti pleraſque iſtas rationes eſſe *pp*).

In Polonia maiori, teſtante IABLONSKIO *qq*), qui ipſe iſto munere functus eſt, datur eiusmodi epiſcopalis cathedra reformatae religionis, in qua indiuulſo nexu epiſcopi legitime conſecrati ſederunt, & quae, praeter Anglicanas, inter reformatos vnica eſt, in qua ſucceſſio legitima epiſcopalis viguit *rr*). Tandem

pp) vid. Magnifici KAPPII Sammlung einiger Leibnitziſ. und anderer Briefe, Ep. XLVII. p. 247. ſeqq.

qq) Ebend. Ep. VI. p. 21. 25. ſeq.

rr) Conf. hic etiam eiusdem D. DANIELIS ERNESTI IABLONSKII *Hiſtoriam*

Tandem colophonem huic opellae imponant Tranſyluanii epiſcopi. Otium hic nobis fecit Cel. MARTINVS SCHMEIZELIVS, qui *in diſſertatione epiſtolari* de *Statu eccleſiae Lutheranorum in Tranſyluania ss*) 1. originem, 2. numerum epiſcoporum inde a tempore reformationis, 3. vocationem & electionem, 4. muneris rationem & iura, 5. dignationem, 6. ſalarium & 7. ſedem accurate ſatis deſcripſit. Lectores itaque noſtros ad hanc eruditiſſimam ſcriptionem ablegatos volumus. Sed quaedam tamen exinde delibaſſe non erit ab noſtro inſtituto alienum. Numerus epiſcoporum, a tempore reformationis vſque ad annum, in quo laudatum ſcriptum fuit editum, eſt XVIII. Inter quos chorum ducit PAVLVS WIENER, Paſtor Cibienſis, electus anno CIↃ IↃLIII. d. XI. Calend. Aprilis, exſtinctus CIↃ IↃ LV. d. XVI. Auguſti. Ordine vero vltimus eſt LVCAS GRAFFIVS, qui ornatus eſt ſplendidiſſimo hoc munere anno CIↃ IↃ CCXII *tt*). Epiſcopi huius prouinciae duplicem ſuſtinent perſonam, videlicet Paſtoris primarii in eccleſia Birthalbenſi & Epiſcopi ſeu Superintendentis totius eccleſiae in Tranſyluania Lutheranorum. Epiſcopalis dignitas fundatur in priuilegio regis IOANNIS II. *uu*). Electio epiſcopi ita ſe habet. A principibus decanis vel Mediae vel Birthalbini vel aliorſum, in peculiari conclaui intra aedes parochiales, de candidatis duobus inſtituitur ſerutinium. Poſthaec ſolemni ratione omnes praeſentes templum petunt, vbi vel omnium conſenſu alteruter candidatorum Epiſcopus ſalutatur, vel ſcriptis & collectis omnium antiſtitum ſuffragiis eligitur *xx*). Iura ipſius, praerogatiuae & reditus ſunt ſatis ſplendidi. Denique ſedes eius eſt Birthalbini *yy*). Supereſt adhuc in Tranſyluania epiſcopus ſeu Superintendens reformatae eccleſiae commemorandus. Parent ipſi non ſolum iſtae in Tranſyluania eccleſiae, quae ad Helueticam confeſſionem reformatae fuerunt & Valacho-reformatae, ſed quaedam etiam Saxo-Euangelicae. Sedem ſuam Claudiopoli habet & iſte, qui hanc epiſcopalem cathedram occupat, dicitur IOSEPHVS DEAKI *zz*). Haec ſunt

ſtoriam conſenſus Sendomirienſis, Berolini 1731. p. 1. 164. in *eod. libro* p. 130. MARTINVS ORMINIVS eadem dignitate fuit gauiſus circa CIↃ IↃC XXXVI.

ss) Ienae 1722.

tt) l. c. p. 85. ſeq.

uu) l. c. p. 89. ſeq.

xx) l. c. ibid.

yy) l. c. p. 90. ſeq.

zz) v. *Acta hiſt. Eccleſ.* P. LXVII. ſect.

Digitized by Google

ſunt praecipua iſta, quae nos de epiſcopis inter Proteſtantes habuimus in promtu. Quae, qualiacunque ſint, lector beneuolus aequi bonique conſulet: certe id maxima aſſeueratione affirmare ipſi poſſumus, nobis induſtriam non defuiſſe *). Verbum igitur non amplius de hac re addamus.

Memor potius pietatis meae, ad quam teſtificandam inprimis haec ſcriptio occaſionem mihi praebere debet, ad TE me conuerto, VIR SVMME VENERABILIS, PATRONE SANCTE DE VENERANDE. TV eiusmodi ſpartam iam capeſſis, quae, vti fatentur omnes, in archiepiſcopatus locum apud Proteſtantes ſucceſſit. Quantus honor! quam eminens dignitas! Ante omnia igitur exoranda mihi a TE venia eſt, quod ego hanc perlettem ſcriptiunculam Magnifico NOMINI TVO dicare ſuſtinuerim. Et in ſpem adducor, me certiſſime iſtam impetraturum, dum ſubit animum, inter inſignes virtutes Tuas, quas laudibus depraedicant omnes ac celebrant, etiam inuſitatam comitatem, incredibilemque humanitatem ſibi vindicare locum. Quid? quod gloriari poſſum, crebras a TE pro facilitate Tua mihi miſſas litteras, quas propter inſignem honorem ſollicite aſſeruamus. Temerarium proinde credo, nemini inceptum noſtrum videbitur. Deinde tot quoque beneficiis a TE mactatus fui, vt ingratus eſſem, ſi non publicum quoddam monumentum deuinctiſſimi TIBI mei animi ponerem. Quid dicam de iſta veneratione, qua TE tacitus iamdudum obſeruaui, colui, ſuſpexi. Habet enim id virtus tanquam proprium, vt nos ad ſui amorem atque admirationem alliciat, eosque venerari ac magnifacere impellat, in quibus omni ſuo ſplendore coruſcat.

ſect. V. p. 70. ſeq. Inſertae ibi ſunt litterae IOSEPHI DEAKI, quibus ſubiectis ſibi clericis ſynodum indicit. conf. etiam Celeberr. Viri SCHMEIZELII l. c. p. 83. vbi inprimis notula 32 lectu digna eſt.

*) Quum ingrato terra nihil peius alat: non poſſumus quin hic incredibilem humanitatem ſingularemque munificentiam *Viri Magnifici* IO. EKHARDI KAPPII, ornamenti noſtrae Academiae praeſtantiſſimi ſplendidiſſimique publice teſtatum faciamus, ſiquidem nobis inſtitutione, conſilio, & copioſiſſima ſua ſupellectili libraria vtiliſſimam nauauit operam. Deuinctos nos profitemur *Viro Magnifico* per omne vitae noſtrae tempus & ſemper maximis a Deo efflagitabimus precibus, vt *Virum Magnificum* cum ſplendidiſſima ſua domo proſpera valetudine integrisque corporis animique viribus diutiſſime florere iubeat.

Digitized by Google

ruſcat. Et quis non ipſam in TE agnoſcat? Gloria ingenii Tui anguſtis iſtis terminis vnius loci vel ditionis ſeſe concludi non paſſa fuit. Peruagata eſt non ſolum totam, qua patet, Saxoniam, ſed exteras quoque regiones laus NOMINIS TVI impleuit. Famam ingenii, quocunque arceſſebaris, Tui expectatio, expectationem aduentus admiratioque ſuperauit. TIBI, TIBI contigit aureis quaſi catenis mentes humanas conſtringere & ad aſſenſum ipſas adducere, impellere, rapere. Mox fulminis inſtar percellit, conturbat exterretque omnia oratio Tua; mox, velut foecundus ros, ſeſe inſtillat in animos & pectora dulci permulcet ſolamine. Sed non tantummodo eloquentia in TE ſumma deprehenditur, ſed vita etiam integra labisque pura. Enimuero ipſe mihi in laudibus Tuis temperare debeo, ne adeo onerem modeſtiam & verecundiam Tuam. Habent enim praeclara ac ſplendida ingenia hoc peculiare, vt in virtutibus quidem aliorum perſpiciendis ſatis ſint oculata, ſed quod ad proprias attinet, detorquent illinc oculos, & in id vnice intendunt omnem mentis vim, quo eas magis magisque indies eliment, expoliantque. Igitur iam inuitus reuoco animum a iuſtiſſimis Tuis laudibus, inprimis etiam propterea quod tanta pueritia immo prorſus infantia orationis meae eſt, vt neutiquam par ſim celebrandis digna ratione laudibus Tuis. Si quis virtutes Tuas, vti iuſtum eſt ac decet, deſcribere velit: ei Tui ipſius eloquentia eſſet opus; tum demum poſſet opinari, ſe ſatisfeciſſe ſuo operi. Nihil igitur reſtat, niſi vt Deum ter Optimum Maximum humillimis implorem precibus, vt TE, quem tanquam egregium & lucidum ſidus eccleſia noſtra ſuſpicit, omni proſperitate mactet, exornet, adaugeat. TV partes aegras & labantes huius militantis eccleſiae ſanare & confirmare pergas. Oratio Tua diuino afflata ſpiritu & in poſterum tanquam dulciſſimum mel irriget recreetque mentes afflictas & vere reſipiſcentes, ſed eadem, inſtar turbinis, percutiat, confringat duriſſima iſta pectora, quae a Deo aliena non niſi vitiis improbitatique ſeruiunt. Denique etiam a TE demiſſe peto, vt & mihi in poſterum fauere pergas.

DE PALAESTINA ET ARABIA
PROVINCIIS ROMANIS QUAESTIONES SELECTAE.

DISSERTATIO HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE V. M. AUGUSTI A. MDCCCLXXXV, HORA XII

PUPLICE DEFENDET

AUCTOR

PAULUS DE ROHDEN

RHENANUS.

ADVERSARII ERUNT:

ERNESTUS TRAMPE, DR. PHIL.
HERMANNUS WINTHER, CAND. PHIL. DD.
RICARDUS ZIMMERMANN, STUD. PHIL.

BEROLINI.

TYPIS EMILII DREYERI.

Digitized by Google

Digitized by Google

PATRI CARISSIMO.

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

Quae nomina provinciis fuerint.

Alteri provinciae, quam tractandam mihi proposui usque ad Hadrianum nomen fuisse Judaeae, exinde Syriae Palaestinae Borghesi[1]) et Henzen[2]) bene observarunt. Illud enim exstat C. J. L. III D XIV, p. 857, anno 86; C. J. L. X, 6321, ca a. 109, propter lacunae angustias satis certo restitutum a Borghesio (IV, 125); C. J. L. III, 2830, a. 135. Necnon sub Hadriano positus est titulus hic: 'd. m. P. Aeli Aug. lib. Onesimi tabul. prov. Judiae' (sic! C. J. L. VI, 8579), quia Onesimum Hadriani libertum fuisse et praenomen evincit et alius lapis nuper editus confirmat[3]). Syriae Palaestinae nomen primum invenitur paulo post annum 155 C. J. G. 4029), quam ob rem titulum Ephesium[4]), qui Erucium Clarum cos. 170 '*ἡγεμόνα Ἰουδαίας*' significat, rectum nomen ex-

---

[1]) Borghesi, oevres complètes VIII p. 89.

[2]) Jahrbücher des Vereins von Alterthumsfreunden im Rheinlande 1848, p. 26. Bullettino dell' instituto di corrispondenza archeologica 1848, p. 27. Borghesi IV, p. 160. n. 2.

[3]) Eph. epigr. V, 1884, p. 585, n. 1370.

[4]) Le Bas et Waddington, inscriptions grecques et latines, III, explications, à n. 1842 a.

Digitized by Google

hibere nego, praesertim cum pro 'ἡγεμόνα' exspectes 'πρεσβευτήν' Ceteri tituli consentiunt in nomine Syriae Palaestinae[1]); neque aliter in nummis est usque ad a. 130 'Judaea' (Eckhel IV, 495), inde ab Antonino Pio usque ad Decium 'Syria Palaestina' (Eckhel III, 432. 435. Mionnet V, 500. VIII, 346).

Conveniunt scriptores. Strabo quidem (16 p. 776) et Plinius (h. n. 5,66 sqq.) utpote regioni, non provinciae describendae studiosi, quod verum nomen neglegunt, non est mirum. At Josephus (ant. 18,2,2. 19,9,2. 20,5,1 etc.), Tacitus (hist. 2,78. 5,9 etc.), Suetonius (Claud. 28), Dio[2]), Eusebius usque ad a. 132[3]) provinciam nominant Judaeam. Post Hadrianum Ptolemaeus (5,15. 8,20,20) utrumque nomen affert, sed ita, ut 'Syriam Palaestinam' priore loco ponat, qua re nescio an verum nomen indicare voluerit. Adstipulantur cum Galenus (XIX, 16. XIV, 7. Kühn) et uno loco Libanius[4]), etsi inverso ordine 'Παλαιστίνην Συρίαν' dicunt, tum Polemii Silvii laterculus.[5])

Cum igitur aut sub finem imperii Hadriani aut Pio imperante provinciae nomen mutatum esse appareat, tuo iure statues confecto bello Judaico, ut ne provinciae quidem nomen invisae gentis admoneret, Syriam Palaestinam eam esse appellatam[6]). Sed paulatim nudum Palaestinae nomen inde a Severo usu venit, id quod iam occurrit apud Ulpianum (Dig. 50,15,1), deinde in

---

[1]) C. I. G. 4151, c. a. 200? Henzen 5533 = Wilmanns 1293, c. a. 220? C. I. L. III, 6054. V, 92. IX, 5362.

[2]) Dio 55,23 s. 69,11. 13,1. Anno 117 tamen habet 'Palaestinam', 68, 32,4.

[3]) Euseb. hist. eccl. 4,2,5. 4,6,1. chronicon, ed. A. Schoene, ad a 2131 = 115. 2148 = 132.

[4]) Libanii orationes et declamationes ed. Reiske, 1791 sqq. I, p. 91 'Παλαιστίνῃ Συρίᾳ', quae verba Reiske copula 'καὶ' inserta perperam distinxit.

[5]) ed. Mommsen, Abhandl. der sächs. Gesellsch. der Wissenschaften III, 1857, p. 233 ff.

[6]) Idem sentit Mommsen, Römische Geschichte V. Die Provinzen von Caesar bis Diocletian, Brl. 1885, p. 546.

Digitized by Google

laterculo Veronensi[1]), in actis conciliorum[2]), apud Eusebium[3]), Libanium[4]), Ammianum (14,8,11).

Divisa provincia c. a. 358, id quod infra probabo, quae pars olim ad Arabiam pertinuerat, Palaestina salutaris est dicta[5]), reliqua Palaestinae nomen retinuit cognomine non addito[6]). Ex quo iterum provincia est dissecta, initio novae tantummodo Palaestinae novum secundae cognomen inditum esse videtur[7]), inde ab a. 409 Palaestina propria vocabatur prima, pars separata secunda, salutaris tertia[8]), quamquam Hierocles primae cognomen omittit[9]). Praeterea Palaestinae nomen omnes tres provincias complectebatur, quippe quae sub uno duce essent[10]).

Paucioribus nunc de Arabia. Cui provinciae Petraeae cognomen quamvis Ptolemaeus (5,14-16 ed. Wilberg) addat, tamen quin abiudicandum sit, non dubito. Sicut enim Dio (69,14,5), ut accuratius doceat, quaenam totius Arabiae pars a Traiano subiecta sit, eam *'Ἀραβίαν τὴν πρὸς τῇ Πέτρᾳ'* usurpat, ita Ptolemaeus ad discernendas tantum Arabiae partes fe-

---

1) Verzeichniss der römischen Provinzen, aufgesetzt um 297, hgg. von Mommsen, Abh. der Berliner Akad. 1862, p. 489 ff.

2) Harduin, conciliorum collectio I, 314. 589. 652. 671.

3) Euseb. h. e. 7,15,3. de mart. Palaest. 3,1. onanasticon, ed. Larsow et Parthey, p. 54. 252 etc.

4) Libanii epistulas ed. Wolf. 1738. n. 11. 320. 337.

5) Hieronymi opera ed. Vallarsi III, p. 337, quaest. in Genes. 21,30: 'provincia ante non grande tempus ex divisione praesidum Palaestinae salutaris est dicta.'

6) C. Th. 12,1,55 = C. Just. 10,32,24 (a. 363). C. Th. 11,36,28. 11,30,42. 10,16,4 (a. 383—385). Harduin I, 813 (a. 381). Liban, ep. passim.

7) notitia dignitatum, ed. Boecking, orientis I, 5 s. II, 9. XX, 55 s.

8) C. Th. 7,4,30 (a. 409). Harduin I, 1799 (a. 451). Justiniani novellae ed. Zachariae et Lingenthal I, Lps. 1881, p. 115 sqq. XVI § 6. 7. 38 (a. 535). Palaestina tertia est apud Procop. de aedif. 5, 8 et Steph. Byz. ss. vv. *Πέτρα, 'Ραβάθμωβα, Χαράκμωβα.*

9) Hieroclis Synecdemus et notitiae Graecae episcopatuum ex rec. G. Parthey, Brl. 1866, p. 43 f. n. 718 sqq.

10) not. dig. or. I, 5. XXIX, 78. Procop. bell. Pers. II, 1 p. 155 ed Bonn.

1*

Digitized by Google

lici et desertae meo iudicio opposuit Petraeam[1]). Neque alibi 'Arabia Petraea' audit nisi in subscriptionibus synodi Antiochenae anno 341 habitae (Harduin I, 589), ubi tamen provinciarum nomina interpolata esse viris doctis probatur[2]). Alioquin ubique habes nomen Arabiae[3]). Quid autem de laterculo Veronensi mihi persuaserim praebente 'arabia item arabia augusta libanensis', infra exponam.

II.

Cui provinciae decapolis contributa fuerit.[4])

1. Damascum Marquardt[5]) et Mommsen (R. G. V, 476 n. 3) num recte usque ad annum 106 Nabataeis attribuerint, magnopere dubito. Constat quidem c. a. 86 a. Chr. ipsam se dedidisse

---

[1]) Idem, ni fallor, vult Plinius (n. h. 37, 121) scribens: 'in Arabiae quoque parte, quae finitima Syriae Petra vocatur.'

[2]) Hefele, Conciliengeschichte I², 1873, p. 521. Mitto locos, nihil valentes Epiphanii adversus haereses I, 2: 'ἐν τῇ Ἀραβίᾳ τῇ Πετραίων' et Malchi ed. Bonn. p. 232: 'κατὰ Πετραίαν.'

[3]) C. J. L. VI, 1333 (a. 150), VIII, 7050-7052 (a. 169), III, 1178 (c. a. 200). Henzen 5530=Wilmanns 1293 (c. a. 220). C. J. L. III. 90 (c. a. 255); praeterea incerto tempore C. J. L. III, 249. 6035. Orelli 3044=Wilmanns 1197. Accedunt C. Th. 9,40,4 = C. Just. 9,47,18, (a. 346). Harduin I. 314. 652. 671. 737. 813. Euseb. h. e. 6,19 (a 117) onom. ss. vv. *Βοσώρ*, *Ἀμμᾶν*, *Μωάβ*, *Ἐσβοῦς*. Liban. ep. 672b. 323. 955. 1099. Ammian. 14,8,13, notitia I. 5 II, 9. XX, 56. XXX, 81. novellae l. c. § 39 p. 355 LIII. Hierocles p. 45 n. 722.

[4]) Neque quot neque quae urbes ad decapolin referendae sint, antiquis ipsis satis constabat teste Plinio n. h. 5,74: 'Decapolitana regio a numero oppidorum, in quo non omnes eadem observant, plurimum tamen' etc. Re vera Ptolemaeus multo plures urbes affert (5,14 Wilberg) quam Plinius unamque ab hoc nominatam (Raphanam) omittit, atque Steph. Byz. s. v. *Γέρασα* hanc urbem dicit '*τῆς τεσσαρεσκαιδεκαπόλεως*'. Praeterea cf. Euseb onom. s. v. *δεκάπολις*. Jos. ant. 13,4,4. bell. 1,7,7. 2,18,1. 3,9,7. vit. 65. 74. Itaque in hac recensione gravissimas et maximas urbes seorsim tractandas putavi neglectis ceteris.

[5]) Marquardt, Römische Staatsverwaltung I², Lpz. 1881, p. 404 f.

Digitized by Google

Aretae Nabataeorum regi[1]), sed cur anno 64 a. Chr. sub Romanorem dicionem eam venisse credam, haec habeo.

1. Damascus hoc anno capta est a Romanis et quasi praetorium Pompei facta (Jos. ant. 14,2,3 sqq.).

2. Anno 42 a. Chr. Fabius quidam sine dubio Romanus urbi praeerat (Jos. ant. 14,11,7).

3. Damasceni et c. a. 23 a. Chr. a latronibus vexati (Jos. bell. 1,21,4. ant. 15,10,1 cf. Strab. 16, p. 756) et anno 4 a. Chr. cum Sidoniis de finibus litigantes Syriae legatum adierunt. (Jos. ant. 18,6,3).

4. C. a. 66 et 79 p. Chr. Damascus inter Syriae urbes enumeratur. (Jos. ant. 7,8,7. bell. 2,20,2. Plin. 5,74.)

5. Nummi Damasceni quamquam permulti supersunt annis

---

[1]) Jos. ant. 13,15,2, bell. I, 4,8. — Hac occasione usus indicem regum Nabataeorum numeris additis subiciam:

1. Aretas I, 170 a. Chr., 2 Macc. 5,8.

2. Zabelus I, usque ad a. 146 a. Chr., 1. Macc. 11, 17. Jos. ant. 13, 4,8. Uran. ap. Steph. Byz. s. v. *Μωθώ.*

3. Malchus I, inde ab a. 146 a. Chr., 1. Macc. 11,39. Jos. ant. 13,5,1.

4. Aretas II c. a. 138—96 a. Chr., 1. Macc. 15,22. Jos. ant. 13,13,3.

5. Obodas I, c. a. 95—92 a. Chr., Jos. ant. 13,13,5. bell. I, 4,3. Uran. ap. Steph. Byz. ss. vv. *Ὄβοδα. Αὔαρα.*

6. Aretas III, c. a. 92—48 a. Chr., Jos. ant. 13,15. 14,1,3.14,5,1. bell. 1,4,7. 6,2. 8,1. Dio 37,15. App. Mithr. 106. Plut. Pomp. 41. Just. 39,5,6.

7. Malchus II, c. a. 48—28 a. Chr., bell. Alex. 1. Jos. ant. 14,13,9 sqq. 15,3,8 sqq. bell. 1,14,15. 18 sqq. Dio. 48,41,5. 49,32,5.

8. Obodas II, c. a. 28—7 a. Chr., Strab. 16, p. 781. Jos. ant. 16,7,6.16, 9. Wiener numismat. Ztschr. III, 1871 p. 445.

9. Aretas IV Philodemus Philhellen. 7a.—41 p. Chr., 2. Cor. 11,32. Jos. ant. 16,9,4 sqq. 18,5. cf. Tac. ann. 2,57.

10. Malchus III, 41—75. Jos. bell. 3,4,2. Peripiplus maris Erythraei p. 11 Hudson.

11. Zabelus II, 75—106, in nummis et titulis tantum nominatur, quos in his libris invenies:

De Luynes, monnaies des Nabatéens. revue numismatique III, 1858, p. 292 ff. — De Vogüé, monnaies des rois de Nabatène, revue num. XIII, 1868 p. 153 ff. — De Vogüé, Syrie centrale, inscriptions sémitiques, Paris 1868—1877 I, p. 100 ff. — Doughty, documents épigraphiques recueillis dans le nord de l'Arabie, Paris 1884, p. 37 ff. Nondum inspicere potui: Berger, nouvelles inscriptions nabatéennes de Médain Salih, Paris 1884.

Digitized by Google

135, 69 ante-33, 62-65, 75, 127 post Chr. cusi[1]), tamen nulli Nabataeorum regem indicant nisi tres mox tractandi. sed quicunque sub imperatoribus prodierunt, hos solos nominant. Quam rem ut expediret quae Mommsen attulit, ea nequaquam mihi satisfacere confiteor. Nabataeos enim etsi reapse Romanis morem gerere videmus, tamen publice libertatem ostentasse et nummi et tituli eorum satis declarant, quippe qui nunquam imperatoris, semper regis nomen prodant. Nam quod Mommsen (R. G. V p. 478 n. 2) inscriptionem sibi deprehendisse visus est, quae quamquam intra Nabataeorum fines posita, tamen imperatoris annum exhibeat, id vereor ne in irritum cadat. Qui titulus Nabataeis litteris scriptus prodiit Hebran in vico prope Bostram sito[2]). Affirmat igitur Mommsen Nabataeas litteras non esse adhibitas publicis in titulis nisi in ipso Nabataeorum regno. At unde, quaeso, hoc potest demonstrari nisi ex ipsis inscriptionibus? Quod si et in Siah, qui locus certe et in Sueida, qui verisimillime ad Nabataeorum regnum non pertinebat, nonnulli privati Nabataeorum tituli exstant (Vogüé l. c. p. 89 ff), cur semel etiam publice, quamquam ne id quidem satis mihi constat de isto titulo, eorum linguam esse adhibitam ferri nequit? Si anno 48, quem lapis indicat, Batanaeam, Auranitidem, Trachonitidem neque maiori neque minori Agrippae, sed Romanis paruisse manifestum est, nonne magnopere probatur Hebran et ipsum tum fuisse non sub Nabataeorum, sed sub Romanorum potestate? Quid quod anno 155 Hebran etiamtum imperatoris annos numerabat (Wadd. 2286) neque aeram Bostrenam sequebatur nisi inde ab anno 214 (Wadd. 2287)? Quare equidem hunc vicum neque Nabataeis subditum fuisse et inter 155 et 214, probabiliter a Severo, Syriae ademptum Arabiaeque additum esse censeo.

Jam videamus, quid de tribus istis nummis iudicandum

---

[1]) Eckhel III, p. 330 ff. De Saulcy, numismatique de la terre-sainte p. 37 ff.

[2]) De Vogüé, Syrie l. c. p. 100 n. 1: בירח תשרי שנת שבע לקלדיס קיצר =mense tischri anni septimi Claudii Caesaris (48).

Digitized by Google

sit, quibus aut plenius aut brevius inscriptum est: *ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΕΤΟΥ ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ ΑΡ.*[1]) De Luynes eos Aretae III quem voco (c. a. 92-48) addicit, ego ut Aretam IV (7 a. - 41 p. Chr.) malim, his adducor argumentis. 1. Annus *ΑΡ* = 101 ad quam aeram potest referri nisi ad Pompeianam anni 64-63 a. Chr.? Quominus enim de Seleucidarum aera Damasci consueta cogitemus, obstat tempus nimis remotum. Pompeianam autem pleraeque decapoleos urbes sequebantur, neque inauditum est interdum eandem urbem alio tempore alia aera uti. Apprime convenit, quod cum secundum aeram Pompeianam nummi in annum 37/38 p. Chr. caderent, nulli nummi Damasceni Gaium vel Claudium indicant, cui rei tamen non nimium tribuendum esse Mommsen recte monuit. Nihilominus restat aliquid offensionis, quia non est, cur Damascus Areta regnante neque perrexerit inde ab a. 312 annos numerare neque Aretae regni annos computaverit, sed tertiam anni significandi rationem secuta sit. Quapropter haud scio an omnino non insit in litteris *ΑΡ* anni cuiusdam numerus, sed Aretae nomen seu errore seu consilio repetitum. 2. *Φιλέλληνος* cognomen quadrat in eum regem, qui semper et in nummis et in inscriptionibus nominatur רחם עמה =Philodemus, populum amans sive a populo amatus; atque in hac sum sententia, ut Graeci illo cognomine hoc Nabataeorum verterint atque interpretati sint. 3. Ad Gai fere aetatem revocandus est ille *ἐθνάρχης* Aretae, qui Paulum Damasci in vincula erat coniecturus (2. Cor. 11,32).

Quam ob rem et ex hoc argumento et ex nummis ipsis nihil colligi potest nisi Gaio imperante Damascum Nabataeis fuisse subiectam. Itaque cum huic principi alios quoque reges regnis et regionibus donare libuerit, Soaemum, Cotyn, Rhoemetalcen, Polemonem, Antiochum, Agrippam[2]), cumque et ipsi Aretae favisse eum inde intellegas, quod Vitellius anno 37 Tiberii

---

[1]) Eckhel III p. 330. De Luynes l. c. p. 293 f. n. 2—3a cf. 311 f.

[2]) Dio 69,12,2. 8,2. Suet. Cal. 16. Jos. ant. 18,6,10. bell. 2,9,6.

Digitized by Google

iussu regi bellum illaturus Gaio ad imperium provecto expeditionem non perfecit (Jos. ant. 18,5,3), Nabataeorum quoque regnum urbe celeberrima donata auxisse eum paene in promptu est. Et sicut Ituraea et Judaea regibus defunctis imperio Romano adiectae sunt (Tac. ann. 12,23), ita Damascum puta Areta mortuo[1]) a Claudio Syriae esse redditam.

Ne illud quidem, quod in vico Dmer inter Damascum et Palmyram sito titulus Zabeli regis Nabataeorum anno 99 p. Chr. positus nuper prodiit[2]), quicquam probat de ipsa Damasco. Quamdiu enim Palmyra nondum erat Romanorum, eorum nihil interesse potuit locum obtinere iam in deserto situm. Quae cum ita sint, Damascum opinor ad Nabataeorum regnum non pertinuisse nisi annis 86—64 a. et 37—41 p. Chr., aliis temporibus ad Syriam.

In hac provincia sita erat certe secundo saeculo[3]), tertio et quarto in Syria Phoenice[4]), quinto et sexto in Phoenice Libani[5]), quam provinciam institutam esse non ante a. 381 non solum omnia indicia modo allata arguunt, verum etiam Libanius, quem harum regionum peritissimum fuisse nemo infitias ibit, quotiescunque de Phoenice loquitur eiusve praesidum meminit[6]), ne uno quidem verbo significat duplicem fuisse sua aetate hanc provin-

---

[1]) Certe anno 41 p. Chr. etiamtum Aretam regnasse duae inscriptiones evincunt (Doughty l. c. n. 3. 14), in quibus annus eius 48 commemoratur, cum anno 7 a. Chr. rex factus sit (Jos. ant. 16,9,4).

[2]) Sachau, Ztschr. d. deutschen morgenländ. Gesellsch. 38, 1884 p. 535 ff. n, 3c: 410 אצרתגא בירח איר שנת במנינא רחו די הי שנת 24 לדבאל מלכא »strategus mense ijjar anni 410 secundum Romanos vel anni 24 regis Dabel« mense maio anni 99 p. Chr. cf. Mommsen R. G. V, 477 n. 1.

[3]) Ptol. 5,14 Wilberg. Justin. dial. c. Tryph. 78.

[4]) Tertull. adv. Marc. 3,13. Euseb. onom. p. 166 s. v. *Δαμασκός*, Ammian. 14,8,9. Harduin I, 314. 599. 813. C. Th. 7,22,9=12,1,83 (a. 380), quae subscriptio dubito an spuria sit.

[5]) Harduin I, 1799. Hierocles p. 43 n. 717.

[6]) Andronicus, epist. 150. 156. 184. 192. 195. 217. 239. Julianus, ep. 224. 625. 1111. 1125. Marius, ep. 551. 555. 556. Demetrius ep. 236. Dulcitius ep. 1217 etc.

Digitized by Google

ciam, immo Damascum pariter Andronico paruisse asserit atque Berytum et Paneada (ep. 175. 216. 153). Quare exeunti quarto saeculo Phoenices Libani constitutionem attribuo[1].

2. **Canatham** anno 32 a. Chr. Syriae Coelae contributam fuisse Josephus refert (ant. 15,5,1. bell. 1,19,2), postea sub dicionem Herodis Magni venisse titulus ostendit (Wadd. 2364), huius regno diviso ad tetrarchiam itaque annis 44 – 53 ad Judaeam provinciam pertinuisse inde efficitur, quod certe Agrippae alteri, fortasse etiam maiori subdita fuit (Wadd. 2329. 2365). Agrippa II a. 100 mortuo (Phot. cod. 33) Canatha addicta est Syriae, cui tam Ptolemaeus quam tituli Marco (Wadd. 2331) et Severo imperantibus (Bullettino 1867, p. 204) positi attribuunt. Adsentiuntur nummi sub Commodo aeram Pompeianam, non Bostrenam secuti[2]. Inde ab Antonini Severi f. principatu Arabia eam continuit, cum et in ipsa urbe et proxime eam in vico Atil tituli reperti sint legionis III Cyrenaicae (Wadd. 2331 b = C. I. L. III, 121 add.; C. I. G. 4610 add. = Wadd. 2374 b), quae huic provinciae praesidio fuit[3].

Pauca addam de Canata[4], quam etsi Mordtmann[5]) nuper nihil esse coniecit nisi antiquiorem Canathae scripturam, tamen Waddingtonum (ad n. 2296.) secutus ab hac diversam eo loco, quo hodie Kerak, fuisse arbitror his de causis. In vico el Afiné inter Kerak et Kanawat quae nunc sunt lapis prodiit, qui aquaeductum testatur ad Canatam usque exstructum

---

1) Commemoratur haec provincia non ante not. dig. or. c. I p. 5. De laterculo Veronensi postea videbiums.

2) Reichardt, Wien. numismat. Ztschr. 12, 1880, p. 68 ff.

3) Ptol. 5,16 Wilberg, ubi codex Vaticanus 191 exhibet: *'Βόσιρα λεγίων γ' Κυρηναική'*, cf. Müller, Hermes XV, 1880, p. 305. Praeterea cf. C. J. L. VI. 3492. Wadd. 1907 ff. – Euseb. onom. p. 248 s. v. *Κανάϑ*, Harduin I. 1799. II, 472. Steph. Byz. s. v. *Κάναϑα*, Hierocles p. 45 n. 722.

4) Marquardt I² p. 395, n. 17 quapropter Canatam inter 'decem urbes' enumeret, non intellego, cum et Plinius (5,74) et Ptolemaeus (5,14) Canatham scribant.

5) Mordtmann, archaeol. epigr. Mitt. aus Oest. 1884, 183.

(Wadd. 2296—2297 cf. 2301); Canatha autem editiore loco sita aqua abundat. Inscriptio in oppidulo Kerak reperta '*Κανατηνῶν ὁ [δῆμος]*' (Wadd. 2412 d) ibi huius nominis urbem fuisse arguit. Quod in eodem titulo scriptum est *Διὶ μεγίστῳ*, cur Mordtmann ad Canatham melius quam ad Kerak referri posse credat, non video, cum eiusmodi inscriptiones inter Canathenas unam tantum indagare potuerim (Wadd. 2340), inter ceteras vero plures, quae in vicis Hebran (2289), el Kefr (2292), Sueida (2306) positae sunt. Quid moror? Nonne nummi utriusque urbis paene flagitant, ut distinguamus urbem ***ΓΑΒΕΙΝ. ΚΑΝΑΘΗΝ.*** et urbem ***ΚΑΝΑΤΗΝΩΝ***?

Neque vero Waddingtono assentior Canatam 'priori' provinciae Arabiae adiudicanti (ad n. 2412 f), cum non modo aquaeductus ille non ab Arabiae legato, sed ab A. Cornelio Palma Syriae legato perfectus sit, sed etiam nummi Claudii et Domitiani simulacris praediti et aeram Pompeianam prae se ferentes non pertinuisse eam declarent ad regnum Nabataeorum. Atque quod Canata anno 253 provinciae annos computat (Wadd. 2412 f), id nihil probat nisi ante hunc annum urbem a Syria seiunctam et cum Arabia contributam esse.

3. Adraam Arabiae finibus comprehensam fuisse et titulus evincit anno 169 dicatus (C. J. L. VIII, 7052) et nummi confirmant (Eckhel III, 499 ff. De Saulcy p. 373 ff.), quorum plerique quidem incertae sunt lectionis, unus tamen sub Valeriano cusus annum 157 certe exhibet sine dubio ad aeram Bostrenam spectantem. Quare numerum BO = 72 nummi Commodiani, cui de Saulcy addit C = 200, fortasse recte ad annum 177 revocabis. Itaque ne Nabataeorum quidem regno urbem abiudicare audeo, praesertim cum haud procul ab ea anno 36 p. Chr. Arabum rex cum Herode Antipa de finibus conflixerit (Jos. ant. 18,5,1). Iam vero cum et Josephus et Plinius de Adraa decapoleos urbe taceant, Ptolemaeo autem, qui solus eam inter ‚decem urbes' Syriae addictas enumerare videtur, prae tituli et nummi auctoritate fides habenda non sit, hic geographus aut plane erravit aut aliam urbem 'Adra' appellatam intellexit. Posterius ut amplectamur, admodum suadet, quod et inter

Digitized by Google

Arabiae urbes Ptolemaeus recenset 'Adra' et hodie prope Damascum vicus quidam nomen 'Adra' gerit, quem Ptolemaei aetate oppidum fuisse sumere licet. Proinde, si me audies, aufer Adraam, quae nunc Derat vocatur, ex decem urbium indice.[1])

4. Gerasam Syriae fuisse adiunctam Josephus (bell. 2,18,1), Plinius, qui perperam Galasam eam dicit (5,74), Ptolemaeus (5,14) testes sunt. Accedunt tituli sub Traiano (Wadd. 1722) et Pio positi (C. J. G. 4661 add.), qui Syriae legatos nominant. A Severo autem Arabiae eam esse adiectam inde colligo, quod titulus ibi prodiit 'C. Allii Fusciani leg. Aug. pr. pr. cos. desig.' (C. J. L. III, 118), quem quo referrent, viri docti haerebant. Quominus enim Syriae praefuisse eum credamus, obest illud 'cos. des.', quoniam consulares semper Syriam regebant. De Palaestina nequit cogitari, cum Gerasa nunquam in hac provincia sita fuerit. Restant Syria Phoenice et Arabia, quarum ego hanc praetulerim, quia et de praetorio Phoenicae provinciae legato nihil certi exploratum habemus et Arabiae legatum consulatui proximum fuisse multi tituli docent huic simillimi (C. J. L. III, 91. 96. 92. 89. 6028). Hoc posito cum aetas Diocletiana ipso titulo refutetur, secundo autem saeculo Gerasa Syriae fuerit adscripta, fieri non potest, quin inter Marcum et Diocletianum, probabiliter a Severo, haec urbs Arabiae contributa sit. Cui opinioni egregie favet alia inscriptio prope Gerasam reperta (C. J. L. III, 6035): 'Antiocho Urbian. provinc. Arabia . . . . . ninimp' quae fortasse Antonini Caracallae vel Elagabali servo est dicata. — Postea Arabiae Gerasam addicunt Eusebius (onom. p. 154 s. v. *Γεργασεί*, p. 56 s. v. *Ἀργόβ*). Ammianus (14,8,13). Harduin (I, 1799. II, 485), Hierocles (p. 45, n. 722).

5. **Philadelphia** neque anno 44 p. Chr. in Judaea provincia erat (Jos. ant. 20,1,1) et a Plinio atque Ptolemaeo Syriae attribuitur. Quamvis igitur titulus quidam (C.J.G. 2810 b add. =

---

1) Cf. Euseb. onom. p. 76 s. v. *Ἀσταρώθ*, p. 178 s. v. *Ἐδραεί*. Harduin I, 813. 1799. II, 472. Hierocles p. 45, n. 722.

Wadd. 1620 b) ca. 166—169 urbem dicat 'τῆς Ἀραβίας', tamen a Ptolemaei testimonio propterea non recedam, quod nummi inde ab Hadriano urbis nomini addunt *ΚΟΙ·ΣΥΡ.* At eum idem faciant etiam sub Caracalla et Elagabalo et fortasse Alexandro, licet inde ab a. 195[1]) noniam ad Syriam Coelen, sed ad Syriam Phoenicen pertinere debuerit, vereor ut illud *ΚΟΙ·ΣΥΡ.* provinciam etiamtum indicet, et nescio an ex consuetudine idem additamentum iam ineptum post Severum nummis sit incisum. Neque igitur haec res impedit, quominus Severum hanc quoque urbem Arabiae adscripsisse statuamus. Inde a quarto saeculo cum Arabia eam contributam fuisse nulli dubitationi est obnoxium[2]).

6. Scythopolis cum a. 66 Agrippae minori subdita fuerit (Jos. vit. 65 cf. bell. 3,3,1. 3,9,7), etiam maioris regno, itaque Judaeae provinciae annis 44—53 assignaverim. Neque contra facit Plinius, qui et ipsam Canatham certe in tetrarchia sitam inter Syriae urbes recenset. A. 100 haec urbs Syriae (Ptol. 5,14), c. a. 195 Palaestinae addita esse videtur[3]); postquam Palaestina secunda constituta est, huius erat metropolis[4]).

7. Pellam utrum Josephum secutus in Judaea[5]), an Plinium amplexus in Syria fuisse sumerem, aliquamdiu dubitavi. Sed cum Ptolemaeus ad Syriam eam referat neque probabile sit ante Severum Palaestinae fines esse mutatos, usque ad hunc imperatorem urbem Syriae, exinde Palaestinae (Euseb. onom. p. 54 s. v.

---

[1]) Cf. Bormann, de Syriae provinciae Romanae partibus capita nonnulla, Brl. Diss. 1865, p. 13 sqq.

[2]) Euseb. onom. s. v. Ἀμμάν. Ammian. 14,8,13. Harduin I, 314,589. 1799. II, 472. Hierocles p. 45, n. 722.

[3]) Euseb. onom. p. 118 s. v. *Βηθσάν.* Ammian. 19,12,8. Harduin I, 314. 813. (annis 325. 381).

[4]) Harduin I, 1799. Hierocles p. 44 n. 720. Malal. XIII, 42 p. 347 ed. Bonn.

[5]) Kuhn, die städtische u. bürgerl. Verfassung des röm. Reiches bis auf die Zeiten Justinians II, Lpz. 1865 p. 339 Josephum (bell. 3,3,5) putat errore Pellam inter toparchias Palaestinae recensuisse, cum Plinius in eadem enumeratione eam omittat (Plin. 5,70).

Digitized by Google

Ἀρβηλά), hac provincia tripertita secundae Palaestinae fuisse[1]) proponam.

8. Gadaram inde ab anno 4 a. Chr. Syriae finibus comprehensam esse et Josephus docet (ant. 17,11,4. bell. 2,6,3. 2,18,5) et nummi, quibus *ΚΟΙ·ΣΥΡ.* inscriptum est, testantur (Eckhel 3, 350) et Plinius ac Ptolemaeus confirmant. Quarto saeculo Palaestinae (Harduin I, 314. 589), quinto et sexto Palaestinae secundae erat contributa (Harduin I, 1799. Hierocles p. 44 n. 720) Idem cadit in Hippum[2]) et, ni fallor, in ceteras decapoleos urbes, nisi quod Dium in Arabia collocat Hierocles (p. 45 n. 722).

III.

Quos fines habuerint Palaestina et Arabia usque ad Severum.

Judaeae, quam anno 6 p. Chr. in propriae provinciae formam esse redactam Mommsen nuperrime demonstravit[3]), aliis temporibus alii erant fines Ac primum quidem annis 6—41 tertiam ea tantum partem complectebatur eius regni, quod Herodes Magnus obtinuerat, Archelai dico tetrarchiam: Idumaeam, Judaeam,

[1]) Harduin I, 1799. Hierocles p. 44 n. 720 cf. Notitia 5, p 143 Parthey.

[2]) Jos. ant. 17,11,4. bell. 2,6,3. 2,18,5. Plin 5,74. Ptol. 5,14. Euseb. onom. s. v. Ἀφεκά p. 82. Harduin I, 725. Hierocles p. 44 n. 720.

[3]) Argumentis a viro doctissimo prolatis (R. G. V, p. 509 n. 1) addi fortasse potest, quod Tacitus saepius de Iudaea tamquam propria provincia loquitur (hist. 5,9. ann. 12,54) eamque diserte a Syria distinguit (his. 2,78: cf. praeterea Suet. Claud. 28). Quare vel iste locus, qui maxime Mommseni sententiae repugnare videtur, ann. 12,23 (a. 49): ‚Ituraeique et Judaei defunctis regibus Sohaemo atque Agrippa provinciae Suriae additi', ita est explicandus, ut Tacitus breviter locutus et zeugmate quodam usus sit. Iturarea enim re vera Syriae est addita anno 49, at Judaea post breve Agrippae regnum (41-44) iterum provincia facta. Neque Tacitus anno 49 demum hoc accidisse auctor est, id quod Marquardt 1² p. 411 n. 11 credidit, sed defuncto rege Agrippa. Namque Tacito fusius rem exponere supersedente, quomodo eius verba interpretemur, ex Josepho (ant. 19,9,2) repetendum est,

Digitized by Google

Samariam urbesque Caesaream, Sebasten, Joppen, Hierosolyma, cum Gaza anno 4 a. Chr. Syriae adiecta esset et fortasse a Vespasiano demum Judaeae redderetur. (Jos. ant. 17,11,4. bell. 2,6,3).

Deinde anno 41 provincia a Claudio mandata est Agrippae, qui cum antea iam Herodis Antipae et Philippi tetrarchias acceperisset, totum Herodis Magni regnum coniunxit (Dio 60,8. Jos. ant. 19,5,1. bell. 2,11,5). Quod ubi post eius mortem iterum provincia est factum, annis 44–53 eundem ambitum retinuit (Jos. ant. 19,9,2. 20,5,2. bell. 2,11,6), qui quantus fuerit, paucis consideremus. Ex 'decem urbibus' nullam in provincia fuisse nisi Canatham et Scythopolim supra vidimus. Quousque autem septentriones et orientem versus Judaea porrecta fuerit, ex titulis aliqua certidudine potest definiri. Reperti enim sunt tituli: 1) Agrippae maioris in vico El Mouschennef[1]), 2) Agrippae minoris in templo Siah proxime Canatham (Wadd. 2329), in vicis Deir esch Schair (2135), Helbon (2553), es Sanamen[2]), 3) incerti Agrippae his locis: El Hit prope Philippopolim (2112), Canathae (2329), Aqraba (2413b), Helbon (2552). Accedunt tituli Nabataeorum, e quibus duo Bostrae prodierunt, alter undecimum Malchi regis annum (52 p. Chr.) indicans (Vogué, Syrie l. c. p. 100 ff. n. 4), alter eparchum (הפרכא, n. 3), qui magistratus et Medainsalih apud Teima anno 40 p. Chr. commemoratur (Doughty l. c. n. 3). Item Salchat certe erat Nabataeorum (Vogué n. 5-7a). Haec igitur loca in confiniis fere sita annis 44–53 provincia continuit: Caesaream Paneada (Jos. bell. 3,9,7), Abilam Lysaniae (Jos. ant. 19,5,1), Helbonem, el Hit, el Mouschennef, Hebran (cf. supra p. 6), Canatam (cf. p. 10), Scythopolim, exclusis urbibus his: Damasco, Salchat, Bostra, Adraa, Dio, Hippo, Gadara, Pella.

---

[1]) Wadd. 2211. — Quibus tabulis usus sum, eas invenies hisce in libris: H. Kiepert, Atlas antiquus, III. R. Andree, Hand-Atlas, p. 81. Wetzstein, Reise in den beiden Trachonen. Baedeker (Socin), Palaestina u. Syrien, 2. Aufl., 1880.

[2]) Mordtmann, arch. epigr. Mitt. aus Oesterr. 1884, p. 183 ff. n. 27.

Digitized by Google

Anno 53 cum Agrippae minori tetrarchia Philippi deferretur, provinciae Galilaea et Peraea non sunt demptae (Jos. ant. 20,7,1. bell. 2,12,8), sed primo Neronis anno 13./10. 54 bis 13./10. 55) illi regi accesserunt a principe donatae eae regiones Galilaeae et Peraeae, quae Tiberiada, Taricheas, Juliada comprehendebant (Jos. ant. 20,8,4. bell. 2,13,2. 3,9,7. vit. 9), neque provinciae redditae esse videntur ante Agrippae mortem (a. 100). Hac sola finium mutatione inter a 53 et c. a. 195 Judaea est affecta. Quare Ptolemaeo potissimum duce (5,16) hoc modo eam licet circumscribere.

Trans Jordanem nullae erant provinciae urbes nisi Julias et Livias adiectis paucissimis vicis haud longe a Liviade distantibus; immo Scythopolis cis Jordanem sita Syriae legato parebat (cf. supra p. 12). Quanta haec Peraea fuerit non satis liquet; certe extra fines erant Pella, Gerasa, Philadelphia, Esbus, Medaba. Meridiem versus Arnon amnis pro termino erat, quem Machaerus castellum tuebatur (cf. Jos. bell. 2,18,6), sicut in altero lacus Asphaltitae litore Masada finibus erat praesidio (cf. Plin. 5,73). Ad Palaestinam pertinebant Beerseba et mari adiacens Raphia (cf. Jos. bell. 4,11,5). Septentriones versus in ora maritima Ptolemaeus Chorsea fluvio apud Caesaream, Tacitus (hist. 2,78) et Eusebius (onom. s. v. *Κάρμηλος*) Carmelo monte provinciam a Syria discerni volunt. In interiore terra quousque Palaestina tenderit, non habeo, quo definiam, nisi quod Caesaream Paneada in Syria fuisse constat.

Paulo post quam Agrippae regnum mortuo rege cum Syria est coniunctum, Nabataeorum regnum conterminum fortasse pariter rege mortuo[1]) ab A Cornelio Palma Syriae legato[2]) anno 106

[1]) Zabelus rex usque ad a. 100 certe regnavit, cf. Sachau, l. c. (supra p. 10, n. 2), Vogué, p. 112 n. 7, in quo titulo annus 25 eius regni indicatur.

[2]) De Palma cf. Borghesi V, 31 = C. J. L. VI, 1386. Dio 68, 16. 19,2. vit. Hadr. 4,3. 7,2. Wadd. 2296. 2305. Comptes rendus de l'académie des inscriptions 1865, p. 117.

Digitized by Google

provincia facta est[1]), cuius finium tractum satis accurate produnt tituli Arabiae addicentes loca haec: Bostram[2]), Umm el Djemal (Wadd. 2057b = C.J.L. III, 6028), el Musefire (Wadd. 2070c), Adraam (cf. supra p. 10) Syriae vero haec: Canatham (cf. p. 9), Philippopolim c. a. 177 (Wadd. 2071), Phaenam c. a. 170 (2525. 2528), el Mouschennef c. a. 170—189 (2212f.) Busan c. a. 170 (2237), Aire c. a. 170 (2438), Sueidam c. a. 106 (2305), 149 (2306), 187 (2308), Gerasam (cf. p. 11), el Khirbe (Wadd. 2562b). Quare usque ad Severum confinia sunt statuenda inter Busan, Hebran, Canatam, Abilam, Gerasam, Philadelphiam et Salchat, Bostram, el Musefire, Adraam, Esbunta, Areopolim[3]).

Orientem versus usque ad Nemara castellum Arabia patebat, sed ex quo tempore, ambiguum[4]). Meridiem versus Nabataei omne desertum possedisse videntur Teima (cf. Doughty l. c.) et Leuce come (= Hawara) tenus[5]), quin etiam usque ad Ghar portum Medinae, quem a Strabone (16, p. 782) „Ἐγρᾶ κώμη" significatum esse Krüger probabiliter coniecit[6]). Totam hanc regionem a Romanis vix esse praesidiis munitam Mommseno (R. G. V, p. 476 n. 2) assentior; ne oram quidem maris Erythraei obtinuerunt, cum et Ptolemaeus et Hieronymus (onom. s. v. Aila) apud Aelanam oppidum extremum imperii Romani statuant terminum.

---

[1]) Dio 68,14,5. Festus brev. 14. Ammian. 14,8,13. Eckhel 6,420. Annum 106 aera testatur inde (22/3) ducta: Chron. Pasch. I, 472 annum 105 ideo, ut videtur, indicat, quod inde anni computandi sunt, cf. Wadd. ad n. 2463. C. R. l. c. p. 36. Revue numismatique XI, p. 263.

[2]) Wadd. 1907 ff. Mordtmann l. c. n. 21. cf. Eckhel III, 500, De Saulcy p. 362 ff. — Consilio hic praeterii eos titulos, qui sola aera Bostrena adhibita vel repudiata loca Arabiae adiudicare aut abiudicare Waddingtono videbantur.

[3]) cf. Eckhel III, 504. De Saulcy p. 355 ff.

[4]) Wadd. 2264. 2270. 2271. 2279—2281. Duer castellum antea Nabataeis subditum anno 106 Syriae est attributum (C. J. L. III, 129).

[5]) Strab. 16, p. 780. Peripl. mar. Erythr. p. 11 Hudson.

[6]) H. Krüger, Der Feldzug des Aelius Gallius nach dem glücklichen Arabien, Wismar 1862, p. 39, cf. Steph. Byz. ss. vv. Ἔγρα et Ἰάθριππα.

Paeninsulam, quam nos Sinaiticam vocamus, Arabiae fines continebant; sed mare mediterraneum non tetigisse videntur.

IV.

Quomodo Severus fines mutaverit.

Inter Ptolemaei et Eusebii aetatem fines Arabiae septentrionem versus esse prolatos nemo non videt. Cum autem Waddington, quem recentiores secuti sunt (cf. Marquardt I², p. 433), a Diocletiano id factum esse statuerit (ad n. 2463. 2081), equidem Septimio Severo id vindicaverim his fretus argumentis.

1. Canatha Caracalla imperante Arabiae erat adiuncta (cf. supra p. 9), id quod Mommsen primus animadvertit (C. J. L. III p. 17).

2. Hebran, quem vicum secundo saeculo ad Syriam merito rettulisse mihi videor, anno 214 aeram Bostrenam sequitur (cf supra p. 6).

3. Idem fere cadit in Canatam (cf. supra p. 10).

4. Gerasa inter Marcum et Diocletianum ex Syria in Arabiam translata est (cf. supra p. 11).

5. Philippus Arabs in Arabia condidisse Philippopolim fertur (Vict. Caes. 28), quam urbem nunc 'Schoba' appellatam sub Alsadamo monte in septentriones spectasse Waddington demonstravit (ad n. 2072).

6. Qui tituli in Batanaea, Trachonitide, Auranitide reperti aut Syriae legatum aut legionum III Gallicae et XVI Flaviae Firmae milites diserte prodant, post Commodum noniam possunt ostendi.

7. Septimius Severus et Phoenicen a Syria Coele c. a. 195 separavit et alia in his regionibus temperavit. Arabiam quidem, quam ab eo institutam Eutropius (8,18) et Victor (Caes. 20,15) et Festus (brev. 21) referunt, non de hac provincia, id quod Bormann (l. c. p. 23 s.) suspicatus est, sed de Mesopotamia

Digitized by Google

Arabibus devictis in provinciam redacta intellegendam esse contextus ostendit, quamquam confusio quaedam cum Arabiae provinciae mutatione in istis indiciis inesse potest; sed illud animadvertas rogo, quod 'Palaestinis plurima iura fundavit' (vit. Severi 17,1, cf. Dig. 50,15,1), quod in Syria motu aliquo orto res bene gessit, quod triumphum Judaicum meruit (Dio 75,2,4. vit Severi 16,7).

Waddington vero ad suam sententiam probandam nihil potest afferre nisi complura loca, quae secundo saeculo ad Syriam pertinebant, etiam post Severum annos imperatorum, non aerae Bostrenae numerasse[1]), Sunt autem haec:

1) Wadd. 2460: Harran: *ἔτους ιζ' Λ.Σεπ. Σεουήρου* = 209.

2) Wadd. 2455: El Kren: *ἔτους ια' κυρίου Μ.Αὐρ. Ἀντ[ωνεί]ν[ου* (a. 217?)

3) Wadd. 2543: Oumm. ez Zeitoun: *ἔτους ζ' Σεουήρου Ἀλεξάνδρου* = 229.

4) Wadd. 2309: Sueida: *ἔτους ι' [τοῦ ἡμῶν] κυρίου Αὐτοκράτορος ...... ὑπατεύοντος Ιουλίου Σατορνείνου.*

5) Wadd. 2546: El Kren: *ἔτους ιβ' κυρίου Καίσαρος Ἀλεξάνδρου* = 234.

6) Wadd. 2114: El Hit: *ἔτους ιε' κυρίου ἡμῶν Σεουήρου Ἀλεξάνδρου Εὐτυχ. Σεβ.* = 237.

7) Wadd. 2544: Oumm ez Zeitoun: *ἔτους β' Τραιανοῦ [Δεκίου] ......* = 250.

8) Wadd. 2545: Oumm ez Zeitoun: *ἔτους ζ' Μ.Αὐρ. Πρόβου Σεβ.* = 282.

Praeterea tres tituli consules indicant: Wadd. 2512: Zebiré, anno 213; Wadd. 2215: el Mouschennef, anno 235; Wadd. 2399: Kefr Laha, anno 236, cui rei ideo nihil tribuendum est, quod et metropolis ipsa anno 132 (Wadd. 1958) et alia oppidula in Trachonitide sita, quo tempore sine ulla dubitatione ad Arabiam

[1]) Nam quid de vocibus *ΚΟΙ·ΣΥΡ.* in nummis Philadelphiae post Severum cusis iudicandum sit, p. 12 dixi.

Digitized by Google

referebantur, aera provinciae spreta consules ad annum designandum praeferunt[1]).

Ex octo titulis modo enumeratis duo utpote incertae aetatis neglegendi sunt; nempe et quis ille M. Aur. Antoninus (Wadd. 2455) fuerit, ignoramus, et num in Sueidae titulo (Wadd. 2309) nomen imperatoris erasum re vera Severi Alexandri sit, id quod Waddington existimavit, in controversiam adducam. Commodum enim ne intellegamus, obstare videtur viro doctissimo, quod decimo huius principis anno Asellius Aemilianus Syriae praeerat (Wadd. 2213). At cur hoc ipso anno alter alteri consulari successisse nequit?[2])

Restant igitur sex tituli in vicis Harran, el Kren, Oumm ez Zeitoun, el Hit reperti, qui procul dubio imperatorum annos computant inter Severum et Diocletianum. Quod ut expediam, duae viae patent. Aut enim Severus, cum isti quattuor vici omnes siti sint in septentrionali Trachonitidis regione, eam tantum partem, quae usque ad Philippolim tendebat, Diocletianus reliquam partem Arabiae adiunxit[3]); aut illa loca consuetam numerandi rationem sequi pergebant, quo tempore provinciae aeram adhibere debebant. Posterius propterea malim, quod cum annis 209—237 ex istis sex titulis quattuor, annis 237—290 duo tantum positi sunt, tum aera Bostrena paulatim usu venisse putanda est, id quod Waddington ipse recte monuit[4]). Neque multum habet probabilitatis provinciae fines bis esse mutatos. Quod igitur Waddington (ad n. 2463) omnes regiones statuit,

[1]) Wadd. 2514: Chabeb, a. 303; 2393: Deir el Leben, a. 320: 2546a: Omum es Zeitoun a. 331; 2412 k: Nahité, a. 356.

[2]) Quod si minus placet, Julius Saturninus Arabiae legatus habendus est, cui opinioni non adversatur vox ʻὑπατεύων', cum et Arabiae legatus plerumque cos. des., nonnumquam consularis vocatus sit (C. J. L. III, 89 add. Wadd. 1911).

[3]) Hoc posito Julius Saturninus Arabiae praefuisse nequit, quippe qui Phaenesiis (hodie el Mismie) imperaverit (C. J. G. 4551 — Wadd. 2524).

[4]) Comptes rendus l. c. p. 38: „L'usage de l'ère de Bostra se propagea lentement d'abord, comme il arrive toujours, lorsqu'on veut changer les habitudes d'un peuple.“

Digitized by Google

quae ad Arabiam revocandae sint. aeram Bostrenam, quae Syriae adiunctae fuerint, imperatoris annos in usum vocasse, equidem id eo restrinxerim, ut omnes regiones dicam, quae aera Bostrena utantur, provinciae Arabiae, quae aliter annos numerent, in universum Syriae, interdum Arabiae tribuendas esse.

Quo tempore septentrionem versus Arabia provincia magnopere est propagata, meridiem versus dimidiam fere partem ei ablatam atque Palaestinae esse adiectam his colligo ex causis.

1. Petram et Elusam sub Palaestinae consulari fuisse, priusquam haec provincia sit divisa, Libanius est auctor gravissimus (ep. 318. 324. 337.)

2. Metalla Phaenonis oppidi inter Petram et Zoaram siti (cf. Euseb. onom. p. 360 sq. s. v. *Φινών*), anno 307 Palaestinae praesidi erant subdita (Euseb. de mart. Palaest. 7,2 sqq.)

3. Anno 325 in actis concilii Nicaeni Ailae episcopus Palaestinae provinciae adscribitur[1]) neque ulla urbs inter Arabiae oppida comparet, quam in meridiana parte sitam esse constat; nam ubi 'Sodoma' fuerit, si omnino fuit, non liquet[2]).

4. Qua re Eusebius adductus sit, ut Petram et Phaenonem Palaestinae addicat[3]), non potest explicari, nisi eius aetate reapse ad Palaestinam eae pertinebant. Proinde mittas, quae Nöldeke (l. c. p. 168) et Kuhn[4]) hac de re opinati sunt.

5. Hieronymus (l. c. supra p. 3 n. 5) Palaestinam salutarem ex divisione praesidum Palaestinae, non Arabiae ortam esse dicit.

---

[1]) Harduin I, 314. Versio quidem coptica (ed. C. Lenormant, Specilegium Solesmense ed. Pitra I, Paris 1852, p. 516 cf. 529) praebet 'Jalon' pro 'Ailae' sed hoc item errori librarii dandum est atque 'Basulon' pro 'Zabulon,' 'Diutia' pro 'Lydda.'

[2]) Cf. Nöldeke, die römischen Provinzen Palaestina salutaris und Arabia, Hermes X, 1876, p. 169.

[3]) Euseb. onom. s. v. *Ἀρχέμ* p. 60. *Κάδδης* p. 244. de mart. Palaest. 7,2. Loci contrarii ex antiqua dicendi consuetudine facile explicari possunt et apud Eusebium et apud inferiores.

[4]) Kuhn, über das Verzeichniss der römischen Provinzen, aufgesetzt um 297, Jahrb. für class. Philologie 1877, p. 710.

Digitized by Google

6. Ipsum nomen 'Palaestina salutaris,' non 'Arabia salutaris', idem arguit.

7. Optime denique convenit, quod Eusebius sua aetate legionem decimam, antea Hierosolymis versatam[1]), Ailae collocatam fuisse refert (onom. s. v. *Αἰλάμ*, p. 22), ubi et ipsa notitia dignitatum eam recenset (XXIX, p. 77 sqq.).

Cum igitur eluceat Eusebii temporibus Palaestinam provinciam usque ad Ailam patuisse, quod potest inveniri huius finium mutationis momentum magis idoneum quam illud, quo Auranitis, Batanaea, Trachonitis Arabiae additae sunt? Quam ob rem nullus dubito, quin Severus utriusque provinciae ambitum aliter constituerit. Quod ut faceret, nescio an eum impulerint Saracenorum impetus, quibuscum et Avidius Cassius (Dio 71,25,2. vit. Avid. Cass. 6,5) et Pescennius Niger (vit. 78) in Arabia bellum gesserunt[2]). Ab iis ut provinciam defenderet, cum alteram legionem, quae eatenus Judaeam cohibuerat, Ailam misisset, Severum coniciam, ne dignitas legati Palaestinae minueretur Arabiaeve augeretur, hanc regionem Palaestinae adiecisse, Arabiam finibus septentrionem versus prolatis compensasse[3]).

Ambitus Arabiae cum exinde non iam mutatus esse videatur cumque Palaestina, nisi omnia fallunt, tres provincias, quae postea erant, comprehenderit, Hieroclem secutus Arabiae ad-

---

[1]) Jos. vit. 76. bell. 7,1,2.3. Sub Alexandro etiamtum in ‚Judaea' erat (Dio 55,23), immo in ‚Palaestina'. Tegulas legionis Hierosolymis repertas habes Eph. epigr. V, p. 618, n. 1441.

[2]) Decio imperante Saraceni in montibus Arabum vitam latronum agebant (Euseb. h. e. 6,42). Diocletianus cum iis dimicasse videtur (Panegyrici latini ed Baehrens p. 106: Mamertin. 2,5). Constantio imperante ipsas Arabiae Petraeae urbes obtinebant velut Elusam (Hieron. vit. Hilar. c. 25); ibidem etiam anno 474 habitabant Romanis tributarii (Malchus l. c. ed. Bonn p. 232).

[3]) Hanc tamen rationem incertissimam esse ipse sentio. Nam quinto saeculo ineunte Palaestinam una, Arabiam duae legiones coercebant (not. dig. XXIX, p. 78 XXX, p. 81), atque pariter ignoro, quo tempore leg. VI ferr. Palaestinam reliquerit ac quando leg. IV martia in Arabiam venerit.

Digitized by Google

scribam: Machaerunta, Philadelphiam, Gerasam, Dium, Adraam, Phaenam, Philippopolim[1]: Palaestinae Areopolim, Liviada, Pellam, Gadaram.

V.

Quo tempore Palaestina divisa sit.

Hanc quaestionem ut diiudicem, priusquam de laterculo Veronensi conciliorumque subscriptionibus imprimis in controversiam vocatis[2]) disseram, aliis utar fontibus. Mire enim neglectus est a viris doctis Libanius rhetor Antiochenus, quem unus Sievers gravissimum hac de re testem esse vidit[3]). Diserte igitur pronuntiat hic auctor suis temporibus Palaestinam esse disiunctam his verbis (epist. 337): *Κλημματίῳ· ...... λέγοντος δέ μου μάταιον εἶναι τὴν ἐπιστολήν, εἶναι γὰρ αὐτὸν ὑπ' ἄλλον κατὰ τὴν τομὴν τῆς ἀρχῆς, σέ τε ὠνόμαζεν (Ἱερώνυμος) τὸν ἄρχοντα αὐτοῦ κἂν εἰς πλείω τις διαιρίσῃ τὴν Παλαιστίνην καὶ τῶν πάνυ σε δοκούντων ἐπαινεῖν ἐπαίνων ἐκράτει. καὶ ἦν πιθανός. ἀπῆν γὰρ τὸ δοκεῖν κολακεύειν τῷ τὴν Ἐλοῦσαν ἑτέρῳ γεγονέναι.* Hoc loco Palaestinas propriam et salutarem significari inde est in promptu, quod et Elusa, quae urbs in actis concilii Chalcedonensis (Harduin I. 1799) et ab

[1]) Praeterea aera Bostrena utuntur hi vici: el Aradji a. 351 (Wadd. 2194); el Hit a. 354 (2124); Harran a. 397 (2462); Dschasim a. 392 (arch. epigr. Mitt. 1884, n. 4 cf. Wadd. 2293a). — Areopolis utri provinciae a Severo attributa sit, in medio relinquam. Namque nummi Arabiae eam adiudicant, utpote qui Caracallae effigie signati annos 104 et 105 prodant ad provinciae aeram referendos (Eckhel III, 504. De Saulcy p. 355 sqq.), ac notitia (XXX p. 81 sqq.) Mauros in hac urbe collocatos duci Arabiae subditos refert. At Palaestinae eam addicunt et Hierocles (p. 43 n. 720) et Steph. Byz. s. v. *Χαράκμωβα.*

[2]) Bormann l. c. p. 27 sqq. Nöldeke, l. c. Kuhn l. c. Czwalina, über das Verzeichnis d. röm. Provinzen vom J. 297. Wesel, Progr. 1881. 4.

[3]) Sievers, das Leben des Libanius, Brl. 1868, Beilage L, p. 240 ff.

Digitized by Google

Hierocle (p. 44 n. 721) Palaestinae salutari adscribitur, antea Clematio, postea alii praesidi parebat, et Petra aliquando sub Clematio fuerat (epist. 325).

Proinde quaeramus, quo anno Clematius Palaestinam rexerit. Commendatur a Libanio Auxentius quidam ex Syria in Aegyptum proficiscens et Clematio et Sebastiano[1]). Qui Sebastianus non est praefectus ille Aegypti annis 353 et 354[2]), sed dux eiusdem provinciae anno 358 commemoratus[3]), quia ipse Aegyptum 'φυλάττων' (ep. 434) eiusque munus 'στρατηγία' vocatur (ep. 511). Cum autem anno 356 dux Syrianus (praef. XXVIII. hist. aceph. 4), anno 360 dux Artemius (praef. XXXII) Aegyptum obtinuerit cumque Auxentius Clematii 'ἀρχῆς προοιμίων θεωρὸς' appelletur (ep. 510), hic vir neque ante 357 neque post 359 magistratum iniit. Accedit quod Anatolius praefectus praetorio per Illyricum anno 360—361 mortuus (Amm. 21,6,5) Clematio hanc provinciam mandavit (Lib. ep. 478).

Iam ante annum 361 Palaestinam esse divisam hac ex causa perspicies. Cyrillus quidam praeses erat Palaestinae salutaris, quo tempore Andronicus Phoenicen administrabat (Lib. ep. 166. 599. cf. 559); is sub Elpidio praefecto praetorio hoc munere fungebatur (Lib. ep. 192); Elpidius teste Ammiano (21,6,9) hieme 360—361 ad hanc dignitatem provectus est[4]); exeunte anno 361 Julianus imperator Polyclem Phoenicae praefecit (Lib. orat. II, p. 322), cui Julianus (C. Th. 12,1,52) et Gaianus (Lib. ep. 709) sub eodem principe successerunt. Ergo

---

[1]) epist. 510. 511. cf. praeterea 320. 321; 352. 253.

[2]) Die Festbriefe des h. Athanasius, aus dem syrischen von F. Larsow, 1852, p. 34: Vorbericht XXV f.

[3]) Athanasii vita acephala, ed. Sievers, Zeitschr. für die histor. Theologie 38, 1868, p. 89 ff. c. 5.

[4]) Quod C. Th. 7,4,5. 6. eum iam antea praef. praet. dicunt, minus valet, cum alter locus et ipse alii codicis legi (C. Th. 7,7,1), quae Ammiano convenit (19,12,6), adversetur. Offendit praeterea, quod Constantius alibi versatus est, alibi leges scripsisse fertur, cf. Amm. 19,11. 20,8,1. 11,4. Sed illa indicia etiamsi integra essent, nostram argumentationem non everterent.

Digitized by Google

neque Andronicus Phoenicen neque Cyrillus Palaestinam salutarem post annum 361 accepit. Quin etiam ante hunc annum Palaestinam salutarem institutam fuisse inde fit verisimile, quod Libanius, si Palaestina divisa Cyrillus amicus protinus alteram eius partem obtinuisset, huic, non Clematio Hieronymum Elusae versantem commendasset. Sin autem ante Cyrillum iam alius erat Palaestinae salutaris praeses, ante annum 360 divisionem factam esse apparet.

Cui calculo convenit aliud argumentum. Eodem, quem modo diximus, Andronico Phoenicen regente Hypatius quidam praeerat ei Palaestinae, quae illi provinciae 'ὅμορος' erat (Lib. ep. 156. 159). Utrique viro Libanius eundem Auxentium commendat (ep, 156. 157), quem annis 357—359 iter in Aegyptum fecisse vidimus, sed Hypatio incerto tempore, Andronico tum ipsum cum Auxentius iter erat suscepturus et Andronicus vix in provinciam venerat (ep. 156). Itaque cum eodem fere tempore et Andronico et Clematio provinciae delatae sint Hypatius aut post Clematium Palaestinae fuit consularis, aut dux Palaestinae est putandus eodem, quo Clematius, tempore munus gerens. Si hoc probabimus, nihil ad nostram disquisitionem proficiemus; sin illud, Clematii administrationem artius poterimus circumcribere ita. Kalendis Martiis a. 363 Leontius Palaestinae erat consularis (C. Th. 12,1,55 = C. Just. 10,32.24); Cyrillus ex Palaestina salutari decedens statim propriae est praefectus (ep. 559), non post annum 362. Quare cum Hypatius non post a. 361 munere functus sit, Clematius non post a. 360, talem fere tabulam haud improbabilem proponam.

Palaestina.	Pal. salutaris.	Phoenice.
357-358 Clematius		357-361 Andronicus
	358-359 ?	
359-360 Hypatius		
	360-361 Cyrillus	
361-362 Cyrillus		361-362 Polycles
363 Leontius		

Itaque ut brevi complectar, divisa est Palaestina certe

annis 357—361, verisimiliter anno 358. Quocum faciunt et Hieronymus et Ammianus.

Atque illius quidem quaestiones in Genesim, in quibus aliquanto antea Palaestinam salutarem institutam esse asserit (cf. supra p. 3 n. 5), anno 392 ipse in librorum indice recenset[1]), anno 389 vel 390 conscriptas esse Vallarsi affirmat[2]). Quod autem Nöldeke (l. c. p. 168) illud 'ante non grande tempus' interpretatur 'ante saeculum,' id vereor ut cuiquam placeat; at de triginta fere annis optime potest cogitari.

Magis ambigitur de Ammiani hisce in rebus auctoritate. Qui vir non solum ipse Antiochiae natus diuque in oriente versatus multas regiones viderat (cf. 14,4,6. 22.15,1. 23,6,21. 30), sed etiam ad provincias describendas ex fonte hausit minime contemnendo. Usus enim est vel auctor Ammiani, id quod Gardthausen[3]), vel potius Ammianus ipse, id quod Mommsen probavit[4]), laterculo quodam provinciarum et in dioeceses digesto et in enumerandi ratione cum indice Veronensi et Polemii Silvii in universum concinente. Idem cum Augustamnicam provinciam exhibeat, quam Veronensis nondum agnoscit[5]), hoc debet esse recentior itaque Palaestinam post Diocletianum disiunctam esse confirmat (cf. Amm. 14,8,11).

Laterculum Veronensem, inquam nunc, si placet, paucis inquiramus, Diocletiani aetati tribuendum laterculorumque esse antiquissimum ut Mommseno (Abh. d. Brl. Ak. 1862, p. 489ff.) et Czwalinae (l. c.) libenter concedo, ita magna ex parte corruptum esse haec vitia declarant.

---

[1]) Hieronymi de viris illustribus liber, rec. Herding, Lps. 1879, p. 66 c. 135.

[2]) Hieronymi opera XI, vita Hieronymi c. 19 p. 108 sqq.

[3]) Gardthausen, die geographischen Quellen Ammians, Jahrb. f. class. Philologie, VI. Suppl. bd. 1873, 524 sq.

[4]) Mommsen, Ammians Geographica, Hermes XVI, 1881, p. 602 sqq.

[5]) Augustamnica anno 341 ab Aegypto separata esse videtur, Athanas. praef. XIII, cf. C. Th. 12,1,34. Sievers, Athanas. l. c. p. 120. Hoc posito 'Aegyptus Herculea' laterculi Veronensis ea esset provincia, quae postea Arcadia audiebat, atque laterculus, quem Ammianus adiit, compositus esset post annum 341.

Digitized by Google

1. Pessimae verborum corruptelae, cf. tupus pro cyprus, emossanus pro haemimontus, pariensis pro ripensis, betica pro belgica, miliciana pro tripolitana, tabia insidiana pro sitifensis multaeque leviores.

2. Nonnullae provinciae omissae. Lyciam quidem, quam Mommsen desideravit, Diocletiani aetate etiamtum Pamphyliae fuisse adiunctam ex lege quadam anni 313 intellegitur (C. Th. 13,10.2 = C. Just. 11,49,1), ita ut non provinciam, sed nomen Lyciae, quod Pamphyliae addi debebat, frustra quaeramus, cf. Kuhn, l. c. p. 701. At in Italia quattuor provincias praetermissas esse Mommsen ipse concessit[1], neque Achaiae nomen extat, nisi forte in 'priantina' continetur, quod verbum sequenti 'privalentina' deberi videtur (cf. Mommsen, Abh. 1862, p. 508 n.), sicut pannonia vocabulum vitiose repetitum est.

3. Duo additamenta a librario indicata, scilicet paphlagonia 'nunc in duas divisa' et armenia minor 'nunc et maior addita,'. quae quinto saeculo tribuenda sunt

4. Provinciae Narbonensis secunda et Aquitanica secunda nondum a Diocletiano institutae. Etenim titulus, quem iam a Kuhnio allatum Czwalina nescio quo pacto neglexit, Aquitanicam testatur paulo ante Valentinianum uni praesidi paruisse (Orelli 3192). Unde porro nomen quinque provinciarum postea saepius usurpatum explicari potest, nisi per quodlibet temporis spatium dioecesis Viennensis non septem, sed quinque provincias complexa est? Quanam re commotus Rufius Festus (brev. c. 6), qui quammaxime ut accurate provincias recenseret operam dabat, praeteriit Narbonensem secundam? Qui fieri potuit, ut Ammianus optimo fonte usus utramque provinciam reticeret? (15,11,13 sq.). Quid quod concilii anno 401 habiti testimonium (Harduin I, 957) a Czwalina vix est refutatum? Cum enim episcopi provinciae Narbonensis secundae dicantur 'unitate provinciae' minime teneri episcopo Massiliensi oboedire eorumque ecclesiae ab hoc viro suae

[1]) Neues Archiv. der Gesellsch. für ältere deutsche Geschichtskunde V, 1880, p. 84, n. 1.

Digitized by Google

parochiae fuisse praedicentur, mea sententia fieri non potest, quin Massilia urbs in provincia Viennensi sita vivis episcopis rixantibus cum Narbonensi secunda coniuncta fuerit. Synodi autem Arelatensis (a. 314) subscriptiones adeo sunt vitiatae, ut equidem mirer, quod Czwalina (l. c. p. 20), qui id ipsum ostendit (cf. Hefele I² p. 201 n. 5), iis uti ausus est ad suam opinionem probandam.

Num alias quoque provincias, imprimis Euphratensem et Osrhoenen, postea laterculo insertas esse Kuhn recte censuerit in controversia relinquam, utpote quod adhuc certo diiudicari nequeat et ad nostram disputationem parum afferat.

Iam de Arabia. Scriptum est in laterculo 'arabia item arabia augusta libanensis,' quae verba Mommsen ita distinxit: 'Arabia, item Arabia Augusta Libanensis', illam provinciam postea Palaestinam tertiam, hanc Arabiam esse appellatam ratus. At certissimis argumentis nonne compertum habemus eam regionem, quae postea Palaestina tertia audiebat, non ante a. 357 a Palaestina, non ab Arabia, esse separatam? An omnia testimonia prae laterculo Veronensi nihili sunt facienda, quem turpiter depravatum esse vides? Adde, quod cognomina 'Augusta Libanensis,' quae provinciam Libano monti finitimam significare videntur, minime conveniunt Arabiae vix unquam ad Damascum usque porrectae; quod 'Augusta Libanensis' tantopere respondet 'Augustae Euphratensi,' ut haec nomina propriam provinciam indicasse, illa alii nomini adiecta fuisse non sit consentaneum; quod duae provinciae Arabiae nullo cognomine distinctae prorsus non possunt ferri. Tum Bormanno (l. c. p. 30) mecum, spero, assentieris eicienda esse verba 'item arabia,' quippe quae pariter atque 'pannonia' et 'priantina' (cf. supra p. 26) librariorum culpa in textum irrepserint. Iam quid sibi vult 'Augusta Libanensis'? Phoenicen Libani, quae provincia tibi est intellegenda[1]), nisi forte Diocletianum mavis provinciarum fecisse mutationem paulo post in integrum restitutam (cf. Bormann p. 28),

[1]) Nihil valet nominum discrepantia haud ita magna, cf. Libyae sicca et pentapolis alibi inferior et superior cognominatae, Phrygia nunc salutaris

cum omnia quae supersunt indicia exeunti quarto saeculo adscribant (cf. supra p. 8s.), meo indicio fieri non potest, quin illud provinciae nomen postea sit lateculo insertum, quemadmodum et Narbonensis secunda et Aquitanica secunda interpolatori debentur.

Restat ut pauca verba faciam de subscriptionibus conciliorum. Nomina quidem et episcoporum et urbium saepissime corrupta, mutata, falsa exstare vix est monendum. Quid quod cunctae synodi Antiochenae anno 341 habitae subscriptiones spuriae videntur (cf. Hefele I², p. 504. 511. 521), quod tantum abest ut synodi Sardicensis acta a diversis tradita inter se congruant, ut Athanasius 23, Hilarius 23 alias (Harduin I, 656. 671), Theodoretus (hist. eccl. II, 6) 38 provincias enumeret, e quibus episcopi anno 34¾ Sardicam convenerint Quin etiam versio coptica canonum Nicaenorum, quam antiquissimam esse constat, Syrias inferiorem et superiorem distinguit, quae num unquam fuerint, aliunde nequit demonstrari[1]).

At singula subcriptionum vitia, quae Czwalina diligentissime collegit, iterum persequi piget, cum praesertim si quicquam pretii habere subscriptiones negaveris, nostra argumentatio non labefiat, sin documenta eas esse contenderis haud spernenda, eadem stabiliatur. Quid enim Nicaeni concilii subscriptiones nos doceant, supra tetigi (p. 20). Alterius autem concilii oecumenici (a. 381) indices ideo praetereunt Palaestinam salutarem, quod nullus huius semibarbarae (cf. Hieron. vit Hilar. c 25) provinciae episcopus illi concilio interfuit; atque provincias 'Arabiae' et 'Bostron,' quas falso esse distinctas primus Nöldeke vidit, meliores codices ipsi corrigunt.[2] Quae denique provinciae in actis concilii Chalcedo-

nunc secunda etc. Ordo vero geographicus provinciarum ne in hac quidem dioecesi, nedum in ceteris est servatus.

[1]) Erravit autem Czwalina (l. c. p. 11) provinciam Thebaida in hac versione desiderans; coniuncta enim ea est cum Aegypto ut utraque Libya, neque omissa nisi in Lenormanti latina versione.

[2]) Harduin I, 813 sqq. Mansi conciliorum collectio III, 568 sqq. = S. Leonis Magni opera edd. Ballerini III: Apendix, p. 557. Nöldeke l. c. p. 164. Czwalina l. c. p. 8. n. 2.

Digitized by Google

nensis (a 451) nominantur.[1]) plane congruunt cum iis, quas notitia dignitatum et Hierocles resensent, nisi quod errore librarii scriptum est 'Augustus Euphratensis' pro 'Augusta Euphratensis,' 'episcopum Isauriae' pro 'episcopi Isauriae,' 'Pamphylia II' pro 'Lycia.' Quare huic fonti neque tantum tribuerim, ut eo solo nixus quicquam mihi videar comprobare, neque eam auctoritatem abnuerim, ut ad confirmandam aliquam rem gravioribus argumentis significatam nullius non sit momenti.

Quoniam Palaestinam bipertitam esse c. a. 358 satis ostendi, nunc breviter exponam, quae rationes secundam partitionem ad quarti saeculi finem proferant[2]). 1. Libanius quotcumque praesidum Palaestinae mentionem facit usque ad a. fere 390, tres fuisse Palaestinas nullo verbo significat. 2. Hieronymus cum unam tantum Palaestinae divisionem cognoscere videatur (cf. supra p. 3 n. 5), c. a. 390 secundam Palaestinam probat nondum fuisse seiunctam. 3. Innocentius papa (402—417) epistula ad Alexandrum episcopum Antiochenum data divisas esse paulo aute nonnullas orientis provincias arguit (Harduin I, 1013, epist. 18,2). 4. Subscriptiones concilii anno 381 habiti eas urbes, quae postea Palaestinae secundae erant contributae, Palaestinae addicunt (Harduin I, 813 s.). 5. Claudianus Eutropio (cos. a. 398) opprobrio vertit, quod provinciarum numerum auxerit[3]). 6. Exeunte quarto saeculo et ipsa Phoenice Libani provincia facta esse videtur (cf. supra p. 8 s.). Quibus de causis Palaestinam secundam annis 395—399 ab Eutropio arbitror esse institutam; nominatur ea certe in notitia dignitatnm et in lege quadam anni 409[4]).

[1]) Harduin I, 1799 sqq. Mansi VII, 402 sqq.

[2]) Cf. Mommsen, Abh. d. sächs. Ges. III, 1857 p. 265. Kuhn, l. c.

[3]) Claudiani carmina, rec. Jeep, in Eutrop. II (XX), 585 sqq.: 'Ne quid tamen orbe reciso Venditor amittat, provincia quaeque superstes Dividitur' etc.

[4]) C. Th. 7,4,30. — Sievers, Liban. p. 243, 11 constitutione anni 429 nixus (C. Th. 16,8,29 'in utriusque Palaestinae synedriis'), Palaestinam salutarem existimat intra a. 409—429 Arabiae esse adiectam, intra a. 429 et 451 iterum propriam provinciam factam, vereor ut recte. Fortasse in Palaestina tertia synedria non erant.

Digitized by Google

Continebantur hac provincia urbes hae[1]): Scythopolis, Pella, Gadara, Abila, Capitolias, Hippus, Tiberias, Diocaesarea, Maximianopolis, Gaba mari adiacens, quae omnes aut in decapoli aut in Galilaea fuerant; Palaestina tertia hae: Petra, Arindela, Charaemoba, Areopolis[2]), Zoara, Elusa, Aila, cum Palaestina prima constaret ex Judaea et Samaria.

VI.

Qui magistratus provincias administraverint.

Judaeae cum usque ad rebellionem anno 66 ortam procuratores praefuerint[3]), ex quo in Hierosolymorum urbis dirutae ruinis legio X fretensis castra posuit (cf. supra p. 21, n. 1), huius legionis legatus Augusti propraetore provinciam administravit, id quod Marco imperante Norico et Raetiae contigit[4]). Quem legatum usque ad Hadrianum praetorium fuisse inde intellegitur, quod et L. Flavius Silva annis 72—73 Judaeam obtinuit, anno 81 fasces consulares gessit[5]), et Q. Pompeius Falco, anno 97 tribunus plebis, vix ad consulatum pervenit, priusquam de provincia decessit (c. a. 109)[6]) Eusebius vero vel eius auctor Atticum c. a. 107 *ὑπατικὸν* significans (h. e. 3,32) perperam hanc vocem a sua aetate ad hoc tempus transtulisse putandus est[7]), et Lusius Quietus anno 117 atque Julius Severus

---

[1]) Hierocles p. 43 n. 718. Not. I, p. 91. V, p. 143. Harduin I, 1799.

[2]) De Areopoli cf. supra p. 22 n. 1. — Errore ut videtur, acta concilii Chalcedonensis Gazam hic addunt.

[3]) Jos. bell. 2,8,1. 2,11,6. ant. 20,1,1. 20,5,1 etc. Tac. hist. 5,10 ann. 12,54. 15,44.

[4]) Cf. Mommsen, C. J. L. III. p. 588. 707.

[5]) Jos. bell. 7,8,1 C. J. L. VI, 2059.

[6]) Plin. epist. 1,23. C. J. L. X. 6321.

[7]) Aliter indicat Waddington, Fastes des provinces Asiatiques de l'empire romain I, Paris 1872, p. 192. n. 126 eumque secutus Dittenberger. Die Familie des Herodes Atticus. Hermes III, 1878, p. 76 n. 2. At nostra opinio optime conciliari potest cum ceteris indiciis, cf. praeterea Marquardt, St. V. I² p. 420, n. 1.

Digitized by Google

a. 133—135 consulares propterea Palaestinam acceperunt, quia bellum iis gerendum maioresque copiae cohibendae erant.

Post Hadrianum hi legati Aug. pr. pr. certo fuerunt consulares: C. Julius Serverus cos. 155 (C. J. G. 4029), Flavius Boethus c. a. 167 (Galen. XIX p. 13. 16. Kühn), Ulpius Arabianus (G. J. G. 4151). Haec legatorum mutatio artissime, ni fallor, cohaeret cum altera legione provinciae praesidio data. Namque in illo legionum indice, quem ante a. 170 compositum esse constat[1]), praeter legionem X fretensem legio VI ferrata Palaestinae attribuitur assentiente Dione (55,23). Quam legionem iam in Palaestina fuisse, quo tempore Pius ad imperium accessit, colligo ex duobus titulis, quibus legati legionis X fretensis indicantur, C. Popilius Carus Pedo c. a. 140 (Henzen 5601) et L. Annius Fabianus a. 140-150[2]). Etenim cum in iis pronvinciis, quae una legione coercebantur, legatus provinciae et legionis idem esset, illorum legatorum temporibus provinciam non obtinentium plus unam legionem in ea fuisse evincitur. Eadem de causa legio VI ferrata non ante a. 109 in Judaeam venisse potest, quo Pompeius Falco et provinciae et legioni praefuit. Intra hoc temporis spatium (a. 109—140) occasionem illius mutationis vix invenies magis idoneam quam ingens bellum Judaicum sub Hadriano gestum. Possis tu quidem cogitare et de rebellione anni 117; at ut praeteream, quod mirae Judaeorum victoriae initio huius belli a Romanis reportatae hac re difficiliores fierent ad explicandum, magnopere mihi persuadetur Hadrianum bello profligato provinciam quasi novam constituisse. Tum enim Aelia Capitolina est condita, tum Syriae Palaestinae nomen provinciae impositum, tum legionem VI ferratam stativa in ea posuisse credas. Duabus autem legionibus ut praetorius legatus imperaret, non erat moris; tum ergo provincia mandata est consulari.

---

[1]) C. J. L. VI. 3492 cf. Borghesi IV, 259 ff. Marquardt, St. V. II², p. 451.
[2]) Eph. epigr. II, n. 429 cf. Borghesi VIII, 473.

Digitized by Google

Qui magistratus administrasse videtur Palaestinam et divisa provincia Palaestinam primam[1]) usque ad Justiniani tempora, nisi quod annis 383—385 titulum gessit proconsulis[2]). Justinianus autem, quamvis Hierocles cum notitia dignitatum consentiens Palaestinam primam consulari, secundam et tertiam praesidibus attribuerit, tamen, cum novellae (l. c. 16 p. 115) anno 535 et primam et secundam Palaestinam inter consulares provincias, tertiam inter praesidiales sive correctorias recenseant, nescio an ut Arabiae ita Palaestinarum administrationem mutaverit[3]).

Arabiae legatus, cui magna similitudo intercedit cum legato Numidiae, praetorius erat isque summo honori proximus, ut interdum in ipsa legatione ad fasces consulares promoveretur[4]). Medio quarto saeculo res civiles praesidi, militares duci contigisse videntur[5]); quinto saeculo unus 'comes et dux' sive 'comes et praeses' provinciae praeerat[6]); anno 535 Arabia erat et sub duce et sub praeside sive correctore (Just. nov. l. c., p. 115); insequenti anno huic viro moderatoris nomen inditum est eademque dignitas atque duci (l. c. p 355). Erravit igitur Hierocles, cum eodem tempore scribens provinciam addixit consulari.

---

[1]) Hierocl. vit. Hilar. c. 22, II, p. 24 Vallarsi. C. Th. 12,1,55 — C. Just. 10,32,24 (a. 363).

[2]) Hieron. epist. 108, c. 9, I p. 691 Vallarsi. C. Th. 11,36,26. 11,30,42. 10,16,4. cf. Mommsen, Berichte der sächs. Gesellsch. der Wissenschaften IV, 1852, p. 229.

[3]) Procuratores Judaeae sive Syriae Palestinae sub legatis munere fungentes inveni hos: 1. Liberium Maximum (Jos. bell. 7,6,6). 2. Cl. Pater[nu]m Clementianum (C. J. L. III, 5776). 3. P. Semp. Ael. Lycinum (C. J. L. III, 6054). 4. C. Furium Timesitheum (Hensen 5530 = Wilmanns 1393). — De duce Palaestinae cf. not. d. or. I, p. 5. XXIX, p. 78 sqq. C. Th. 7,4,30 ('vir spectabilis dux') Procop. bell. Pers. II, 1, p. 155.

[4]) C. J. L. VIII, 7050 — 7052. III, 89. 90. 96 etc.

[5]) C. Th. 9,40,4 = C. Just. 9,47,18 praeses, a. 346. Wadd. 2194 dux, a. 351.

[6]) Wadd. 2293a: 'comes et dux', a. 392. Not. dig. or. I, p. 5. XXX p. 81; quod. autem cap. II, p. 9 ad Arabiam adicitur 'et dux et comes rei militaris' a Boeckingio (p. 128 n. 57. p. 373 n. 57) eiectum, fortasse a perito

Digitized by Google

Index praesidum Palaestinae et Arabiae.

A. Palaestina.

I. Procuratores, 6—70[1]).

1. Coponius 6— c. a. 10.

Jos. bell. 2,8,1: *Τῆς δὲ Ἀρχελάου χώρας εἰς ἐπαρχίαν περιγραφείσης ἐπίτροπός τις ἱππικῆς παρὰ Ῥωμαίοις τάξεως Κωπώνιος πέμπεται μέχρι τοῦ κτείνειν λαβὼν παρὰ τοῦ Καίσαρος ἐξουσίαν.* cf. Jos. ant. 18,1,1.

2. M. Ambivius, c. a. 10—13.

Jos. ant. 18,2.2: *Κωπώνιος μετ' οὐ πολὺ εἰς Ῥώμην ἐπαναχωρεῖ, διάδοχος δὲ αὐτῷ τῆς ἀρχῆς παραγίνεται Μάρκος Ἀμβίουιος.*

3. Annius Rufus, c. a. 13—15.

Jos. ant. 18,2,2: *διαδέχεται δὲ καὶ τοῦτον Ἄννιος Ῥοῦφος, ἐφ' οὗ δὴ καὶ τελευτᾷ Καῖσαρ.*

4. Valerius Gratus, 15—26.

Jos. ant. 18,2,2: *πεμπτὸς ὑπ αὐτοῦ* (sc. *Τιβερίου*) *παρῆν Ἰουδαίοις ἔπαρχος, διάδοχος Ἀννίου Ῥούφου, Οὐαλέριος Γρᾶτος .... καὶ Γρᾶτος μὲν ταῦτα πράξας εἰς Ῥώμην ἐπαναχωρεῖ, ἕνδεκα ἔτη διατρίψας ἐν Ἰουδαίᾳ, Πόντιος δὲ Πιλᾶτος διάδοχος αὐτῷ ἧκεν.* cf. Jos. ant. 18,6,5. Euseb. hist. eccl. 1,10.

5. Pontius Pilatus, 26—36.

Jos. ant. 18,4,2: *Πιλᾶτος δέκα ἔτεσιν διατρίψας ἐπὶ Ἰουδαίας εἰς Ῥώμην ἠπείγετο ταῖς Οὐιτελλίου πειθόμενος ἐντολαῖς, οὐκ ὂν*

---

quodam lectore additum est: certe a vero non abhorret. Wadd. 1913 'scholasticus et praeses' a. 488; Revue archéologique 1884, 2 p. 274 n. 24: 'comes et scholasticus et praeses.' a. 490. — Conspirat exemplum Isauriae, quae provincia iam c. a. 360 'comiti et praesidi' erat subdita, Eph. epigr. IV, n. 90, cf. not. dign. or. I, p. 4.

Procuratores Arabiae nullos indagare potui nisi Timesitheum (Henzen 5530 = Wilmanns 1293) et L. Didium Marinum (Wadd. 1794 = C. J. L. III, 249).

[1]) De procuratoribus provinciae Judaeae cf. de Saulcy, revue numismatique 1853, p. 186 sqq. Madden, numismatic chronicle, 1875, p. 169 sqq. Marquardt, St. V. I², p. 409 sqq.

Digitized by Google

ἀντειπεῖν. πρὶν δὲ ἢ τῇ Ῥώμῃ προσσχεῖν αὐτὸν φθάνει Τιβέριος μεταστάς. cf. Tac. ann. 15,44. Jos. ant. 18,2,2. 18,3,1-2. 18,6,5. bell. 2,9,2-4. Evang. Luc. 3,1. Euseb. hist. eccl. 1,9. 2,2. 2,7.

Clinton ' fasti Romani II, p. 235 s. Josepho fretus duobus fere annis ante Tiberii mortem, quae a. d. XVII kal. Apr. 37 accidit[1]), Pilatum a Vitellio Romam esse missum censet. At cum abhorreat ab omni probabilitate procuratorem tam tarde iter fecisse, ut duos annos in eo consumeret (cf. *'ἠπείγετο'*), Josephum conicio, quae de Vitellio procuratori munus abrogante dicit (ant. 18,4,2) contextus causa anticipasse. Quare Pilatus aut exeunte anno 26 aut ineunte 27 in Judaeam venit (cf. Borghesi V,82) et Valerius Gratus annis 15-26 provinciae praefuit. Quod Eusebius (h. e. 1,9) ex Josepho collegit Pilatum duodecimo Tiberii anno ($^{19}/_{8}$25—$^{19}/_{8}$26) provinciam accepisse, id frustra apud illum quaesivi. Gaio imperante Pilatus ipse sibi mortem conscivisse fertur (Eus. h. e. 2,7).

6. **Marullus, 38 - 41.**[2])

Jos. ant. 18,6,10: *(Γάϊος) ἱππάρχην δὲ ἐπὶ τῆς Ἰουδαίας ἐκπέμπει Μάρυλλον.* 11: *δευτέρου δὲ ἔτει τῆς Γαΐου Καίσαρος ἡγεμονίας* ... ($^{16}/_{3}$38 – $^{16}/_{3}$39).

7. **Cuspius Fadus, 44— c. a. 46.**

Jos. ant. 19,9,2: *ἔπαρχον οὖν τῆς Ἰουδαίας καὶ τῆς ἁπάσης βασιλείας ἀπέστειλε Κούσπιον Φᾶδον.* cf. Jos. bell. 2,11,6. ant. 20,1,1. 20,5,1.

8. **Tiberius Julius Alexander, c. a. 46—48.**[3])

Jos. ant. 20,5,2: *ἦλθε δὲ Φάδῳ Τιβέριος Ἀλέξανδρος διάδοχος,*

---

[1]) Tac. ann. 6,50. Suet. Tib. 73; Dio 58,28: *'τῇ ἕκτῃ καὶ εἰκοστῇ τοῦ Μαρτίου ἡμέρᾳ'* pro *'ἕκτῃ καὶ δεκάτῃ'*; Perperam Zonar. 11,3: *'τῇ εἰκοστῇ τοῦ Μαρτίου ἡμέρᾳ.'*

[2]) Marcellum (Jos. ant. 18,4,2), qui vix procurator Augusti habendus est, consilio praetermisi.

[3]) De hoc viro cf. Boeckh, C. J. G. III. p. 311a. Renier, mémoires de l'académie des inscr. 26,1, 1867, p. 295. Mommsen, R. G. V, p. 499. 527. 566 n. 1. — Integrum nomen exstat C. J. G. 4957.

Digitized by Google

Ἀλεξάνδρου παῖς τοῦ καὶ ἀλαβαρχήσαντος ἐν Ἀλεξανδρείᾳ. cf. bell. 2,11,6.

Anno 63 Cn. Domitio Corbuloni adfuit in Armenia bellum gerenti, Tac. ann. 15,28. $^{6}/_{7}$ 68—$^{1}/_{7}$ 69 Aegypti erat praefectus, C. J. G. 4957. Tac. hist. 1,11. 2,74, Vespasiano pronus, 2,79. Suet. Vesp. 6 cf. Jos. bell. 4,10,6. Exeunte anno 69 in Judaeam se contulit, ut Titum amicum et consilio et virtute iuvaret, Jos. bell. 5.1,6. 5,12,2. 6,4.3.

9. **Ventidius Cumanus, 48 – c. a. 52.**

Jos. ant. 20,5,2: *Τιβερίῳ δὲ Ἀλεξάνδρῳ Κουμανὸς ἀφίκετο διάδοχος. καὶ τελευτᾷ τὸν βίον Ἡρώδης ὁ τοῦ μεγάλου βασιλέως Ἀγρίππα ἀδελφός, ὀγδόῳ τῆς Κλαυδίου Καίσαρος ἀρχῆς ἔτει* ($^{24}/_{1}$ 48 — $^{24}/_{1}$ 49), cf. bell. 2,12,1. Tac. ann. 12,54.

10. **Claudius Antonius Felix, 52—61.**[1]

Tac. ann. 12,54: At non frater eius (sc. Pallantis), cognomento Felix, pari moderatione agebat, iam pridem Judaeae impositus . . . . . . aemulo ad deterrima Ventidio Cumano, cui pars provinciae habebatur, ita divisis, ut huic Galilaeorum natio, Felici Samaritae parerent (anno 52), cf. hist. 5,9. Jos. ant. 20,7,1. bell. 2.12,8. 2,13,2. Acta apost. 24,10. 23,24 sqq. 24,27.

Tacitus cum aliquanto ante annum 52 Felicem contendat Judaeae impositum esse, cum Josepho conciliari nequit ad hunc demum annum id factum referente (ant. 20,7,1). Fortasse Felix ad motus quosdam comprimendos non ut procurator, sed ut copiarum praefectus in Judaeam misssus[2]) partem provinciae sub Cumano obtinuit, donec hoc damnato ipsam provinciam anno 52 accepit. Offendimur enim vel ea re, quod Josephus et Alexandrum, Cumanum, Festum, Florum successores appellat magistratu abeuntium, non Felicem, et hunc procuratorem Galilaeae Samariae Peraeae (bell. 2,12,8), quamquam ne id quidem cum

---

[1]) Antonius Felix appelabatur ut M. Antonii progener, Tac. hist. 5,9: Claudius Felix ut Claudii libertus, Suid. s. v. *Κλαύδιος*, cf. Suet. Claud. 28. Vict. ep. 4,8.

[2]) Suid. s. v. *Κλαύδιος*, Suet. Claud. 28. Vict. ep. 4,8.

Digitized by Google

Tacito convenit Galilaeam tribuente Cumano. Felix cum a Paulo apostolo laudetur multos annos Judaeis ius dixisse (acta 24,10) et post hanc orationem duos annos in provincia versatus sit (acta 24,27), haud scio an usque ad a. fere 61 provinciae praesederit.

11. Porcius Festus, c. a. 61 - 62.

Jos. ant. 20,8,9: *Πορκίου δὲ Φήστου διαδόχου Φήλικι πεμφθέντος ὑπὸ Νέρωνος*, cf. acta 24,27. cap. 25 · 26. Jos. ant. 20,9,1. bell. 2,14,1.

Ante a. 62 in provinciam profectus est, quia Burrus etiamtum florebat (Jos. ant. 20,8,9), a. 62 mortuus (Tac. ann. 14,51); in magistratu diem obiit (Jos. ant. 20,9,1).

12. Lucceius Albinus, c. a. 62—64.

Jos. ant. 20,9,1: *πέμπει δὲ Καῖσαρ Ἀλβῖνον εἰς τὴν Ἰουδαίαν ἔπαρχον Φήστου τὴν τελευτὴν πυθόμενος*, cf. bell. 2,14,1. ant. 20, 9,5. 11,1.

Non dubito, quin idem sit pocurator Mauretaniae anno 69 trucidatus, Tac. hist. 2,58.

13. Gessius Florus, 64—66.

Jos. ant. 20,11,1: *Γέσσιος δὲ Φλῶρος ὁ πεμφθεὶς Ἀλβίνου διάδοχος ὑπὸ Νέρωνος .... καὶ δὴ τὴν ἀρχὴν ἔλαβεν ὁ πόλεμος δευτέρῳ μὲν ἔτει τῆς ἐπιτροπῆς Φλώρου, δωδεκάτῳ δὲ τῆς Νέρωνος ἀρχῆς* (13/10 65 — 13/10 66); cf. 18,1,6. 20,9,5. bell. 2,14,2 sqq. 2,17,4. 19,4. 20,1. Tac. hist. 5,10.

14 M. Antonius Julianus, 70.

Jos. bell. 6,4,3: *Μάρκος Ἀντώνιος Ἰουλιανὸς ὁ τῆς Ἰουδαίας ἐπίτροπος.*

Qui vir utrum huc referendus an procurator sub legato munere fungens putandus sit, haereo.

II. Legati Aug. pr. pr. praetorii, 70—135.

15. Sex. Vettulenus Ceriali, 70—71.

Jos. bell. 7,6,1: *εἰς δὲ τὴν Ἰουδαίαν πρεσβευτὴς Λουκίλιος Βάσσος ἐκπεμφθεὶς καὶ τὴν στρατιὰν παρὰ Κερεαλίου Οὐετιλιανοῦ* (sic codd.) *παραλαβών* etc.

Digitized by Google

Hunc legatum legionis V Macedonicae (Jos. bell. 6,4,3) posteaque totius exercitus ducem non ut legatum Aug. pr. pr., sed vice praesidis Judaeam administrasse puta, cum et Josephus Bassum *πρεσβευτήν*, Cerialem exercitus praefectum significet et hic celerrime successorem acceperit. Quem Cerialem non confundendum esse cum C. Vettuleno Civica Ceriali legato Moesiae (79—82) et proconsule Asiae[1]) Mommsen nuper exposuit (Eph. epigr. IV, p. 499). Integrum eius nomen exhibet titulus Venafranus (C. J. L. X, 4862) haud dubie ad eum revocandus cum apud Josephum nunc sit *Σέξτος Κεριάλιος* (bell. 6,4,3), nunc *Κερεάλιος Οὐετιλιανός* (bell. 7,6,1), cf. bell. 3,7,32. 4,9,9. 6,2,5. Diversus ab eo est ille tribunus, qui bell. 3,7,34 commemoratur, ubi bonos codices ‚*Καλοσάριος*' praebere Mommsen benignissime mecum communicavit.

16. Lucilius Bassus, 71—72.

Jos. bell. 7,6,1: *εἰς δὲ τὴν Ἰουδαίαν πρεσβευτὴς Λουκίλιος Βάσσος ἐκπεμφθείς.*

Postquam Herodeion et Machaerunta castella expugnavit, immatura morte decessit (bell. 7,8,1). Procurator sub eo fuit Laberius (sic legendum pro *Λιβέριος*) Maximus (bell. 7,6,6), qui anno 80 fratribus Arvalibus in amphitheatro loca adsignavit (C. J. L. VI, 2059). Eius filius fuisse videtur M'. Laberius Maximus cos. 103, cf. Mommsen, index Plinii p. 416, ed. Keil.

17. L. Flavius Silva Nonius Bassus, 72—73.

Jos. bell. 7,8,1: *ἐπὶ δὲ τῆς Ἰουδαίας Βάσσου τελευτήσαντος Φλάουιος Σίλουας διαδέχεται τὴν ἡγεμονίαν.*

Masadam castellum cepit quinto decimo Aprilis die (Jos. bell 7,9,1), anni 73, cum paulo ante quartus Vespasiani annus sit significatus (1/7 72—1/7 73, bell. 7,7,1). Consul fuit anno 81, C. J. L. VI, 2059.

18. M. Salvidenus? c. a. 80.

Madden, Coins of the Jews, London 1881, p. 218: *ΑΥΤΟΚΡΑ. ΤΙΤΟΣ ΚΑΙΣ. ΣΕΒ.* rs. *ΕΠΙΜΣΑΛΟΥΓΛΗΝ* . . . . (?), id quod

[1]) Wadd. ad n. 709. Eph. epigr. IV D LXVIII, p. 495 sqq. Suet. Dom. 10. Tac. Agr. 42. Waddington, Fastes, l. c. p. 160, n. 104. Renier, l. c. p. 309.

Digitized by Google

Madden legit *ἐπὶ Μ. Σαλουιδήνου*, eundem hunc legatum ratus atque M. Salvidenum Proclum Domitiano imperante proconsulem Bithyniae (Mionnet, Suppl. V, p. 2 n. 5.).

19. **Cn. Pompeius Longinus,** $^{13}/_{5}$**86**

C. J. L. III D XIV, p. 857: Imp. Caes. divi Vesp. f. Domitianus Aug. Germ. p. m. t. p. V. imp. XII. cens. perp. cos. XII p. p. equitibus et militibus qui militant in alis duabus, quae appellantur veterana Gaetulorum et I Thracum Mauretana et cohortibus quattuor I Augusta Lusitanorum et I et II Thracum et II Cantabrorum et sunt in Judaea sub Cn. Pompeio Longino . . . . a. d. III id. Maias Sex. Octavo Frontone Ti. Julio Candido Mario Celso cos.

Pater eius fortasse est Pompeius Longinus tribunus praetorianorum et Galbae amicus, cuius Tacitus anno 69 mentionem facit (hist. 1,31). Quod Henzen eumque secuti Darmesteter et Schiller[1]) ex hoc diplomate motus fuisse in Judaea c. a. 86 collegerunt, reiciendum esse Mommsen me docuit, quia cohors I Augusta Lusitanorum, quam Henzen intra $^{5}/_{9}$85 (cf. C. J. L. III D XII p. 855) et $^{13}/_{5}$85 ex Pannonia in Judaeam missam esse ibique Augustae cognomen accepisse statuit, distinguenda est a cohorte I Lusitanorum, quae non solum anno 85, sed etiam annis 98, 113-114, 167 in Pannonia inferiore stativa habuit[2]). Cetera Henzeni argumenta leviora non opus est refellere.

20. **Ti. Claudius Atticus Herodes, 107.**

Euseb. hist. ecl. 3,32,3: *ἐπὶ Τραιανοῦ Καίσαρος καὶ ὑπατικοῦ Ἀττικοῦ*, cf. l. c. § 6. chron. ad a. 107. chron pasch. ad a. 105, p. 471.

Borghesi (V, p 533 sq.) recte eum existimat Atticum

---

[1]) Henzen, Jahrb. des Vereins von Alterthumsfreunden im Rheinlande 1848 p. 36. Darmesteter, revue des études juives, Paris, 1880 I, p. 36 sqq. H. Schiller, Gesch. der röm. Kaiserzeit I. 2, Gotha 1883, p. 532.

[2]) C. J. L. III D XIX, p. 862. XXVI, p. 869. XLVI, p. 888. Tertia est cohors I Lusitanorum Cyrenaica annis 99 et 105 in Moesia inferiore consistens. C. J. L. III D XX, p. 863, XXII p. 865.

Digitized by Google

Herodis Attici sophistae celeberrimi patrem[1]), qui bis consul atque proconsul Asiae fuit[2]). Quod Dittenberger (l. c. p. 74) eum iam Hadriano imperante mortuum esse statuit, mihi non videtur tutum ab omni dubitatione.

21. Q. Pompeius Falco, c. a. 107-110.

C. J. L. X, 6321: Q. Roscio Sex. f. Quir. Coelio Murenae Silio Deciano Vibullo Pio Julio Euryeli Herclano Pompeio Falconi cos., XV vir. s. f., procos. prov. Asiae, leg. pr. pr. imp. Caes. Traiani Hadriani Aug. prov. Britanniae, leg. pr. pr. imp. Caes. Nervae Traiani Aug. Germ. Dac. [pr]ov. Moesiae inf., curatori [via]e Traianae et leg. Aug. pr. pr. provinc. [Judaeae] et leg. X. fret; leg. pr. pr. prov. Lyciae [et Pamphyl]iae, leg. leg. V Mac. [in bello Dacico donis militari]bus donato, cf. Borghesi IV, 126. VIII, 365. Plin. epist. 1,23. 4,27. 7,22. 9,15.

Tribunus plebis anno 97, Plin. ep. 1,23. Cum Plinius (ep. 7,22) eum roget, ut in amicum quendam tribunatum conferat, in Syria autem et Pamphylia anno certe 178 una sola cohors collocata fuerit (Eph. epigr. IV D. LXXI p. 504), Judaeam tum ab eo administratam esse plerique probant. Hoc posito quoniam Plinii liber septimus annis 107-110 plublici iuris factus est (cf. Mommsen, Hermes III, 31 sqq.), Waddington (Fastes p. 202 n. 133) haud improbabiliter ipso anno 107 Attico Falconem successisse statuit[3]). Moesiae inferiori praefuit a. 117[4]), Asiae c. a. 128[5]). Mentio eius fit praeterea in epistula Marci ad Frontonem missa (II,11. p. 35 Naber) et in digestis (28,3,6), ubi perperam scriptum est 'Pomponium Falconem.' De filio eius Q. Pompeio Sosio Prisco cos. 169, † 180, cf. C. J. L. VIII, 7066. VI, 1490.

---

[1]) Philostr. vit. sophist. 2,1,2. Zonar. 11,20. Suid. s. v. *Ἡρώδης, Ἰούλιος χρηματίσας, υἱὸς Ἀττικοῦ . . . . ἦρξε τῆς Ἀσίας ὁ αὐτοῦ πατὴρ καὶ τοῖς δισυπάτοις συγκατελέχθη*. Cf. Mommsen, R. G. V. p. 261, n. 1. Integrum nomen agnovit Dittenberger, Hermes XIII, 1878, p. 69.

[2]) Philostr. l. c. 2,1,1. Suid. l. c. cf. Wadd., Fastes p. 192, n. 126.

[3]) Certe incidisse hanc legationem in annos 104—115 titulus ostendit. Mihi maxime placent anni 109—111.

[4]) Cf. Arch. epigr. Mitt. IV, 1882, p. 12.

[5]) Cf. C. J. G. 2963c. Eph. epigr. V, 1884, p. 624 n. 1465. Wadd. l. c.

Digitized by Google

22. Tiberianus, c. a. 114.

Joannes Antiochenus ap. Suid. s. v. *Τραιανός*: Müller, fr. hist. Gr. IV, 580, n. 111: *Ὅθεν καὶ Τιβεριανὸς ἡγεμονεύων τοῦ πρώτου Παλαιστίνων ἔθνους ἀνήγαγεν αὐτῷ λέγων, ὡς οὐκ ἐπαρκεῖ λοιπὸν τοὺς Χριστιανοὺς φονεύειν, ἐκείνων αὐτομάτως ἐπεισαγόντων ἑαυτοὺς τῇ κολάσει. ἐντεῦθεν ὁ Τραιανὸς πᾶσιν ἅμα τοῖς ὑπ' αὐτὸν ἀπηγόρευσε τοῦ τιμωρεῖσθαι τούτους.*

Quia Tiberiani precibus commotus Traianus Christianos interfici vetat (cf. ep. ad Plin. 97), Atticus autem Simeonem episcopum necari iubet, illum post Atticum itaque post Falconem legatum fuisse affirmaverim, cui opinioni arridet illud '*ἀνήγαγεν αὐτῷ λέγων*' quippe quod legatum coram imperatore hanc rem tractasse arguat, fortasse quo tempore Traianus expeditiones in Parthos suscepit, 114-116.

23. Lusius Quietus, 117.

Dio 68,32,5: (*Κυῆτος Λούσιος*) *ἐς τοὺς ἐστρατηγηκότας ἐσγραφῆναι καὶ ὑπατεῦσαι τῆς τε Παλαιστίνης ἄρξαι. ἐξ ὧν που καὶ τὰ μάλιστα ἐφθονήθη καὶ ἐμισήθη καὶ ἀπώλετο.* cf. l. c. cap. 30.32. Euseb. hist. eccl. 4,2,5 chron. ad a. 2131=115/116. Amm. Marc. 29,5,4. Themist. orat. XVI, p. 205a.

Quietus postquam anno 116 et barbarorum et Judaeorum seditionem in Mesopotamia exortam profligavit, ineunte anno 117 legatus in Judaeam missus est, ut hanc quoque provinciam pacaret. Factam enim ibi esse seditionem his ex causis efficitur[1]): 1. Scriptores Judaici (apud Graetz l. c.) certiores nos faciunt de 'bello Quieti' (פלמוס של קטוס) in Judaea gesto. 2. Abulfaragius[2]) Judaeos rebelles ex Aegypto in Judaeam profectos esse

---

[1]) Cf. Volkmar, Handbuch der Einleitung in die Apokryphen I, 1860: Das Buch Judith. Graetz, Geschichte der Juden IV, p. 439—455. — Mommsen R. G. V, p. 542 ff.

[2]) Gregorii Abulfaragii sive Bar-Hebraei chronicum Syriacum, edd. Bruns et Kirsch, Sps. 1789, p. 54: 'Judaei Aegyptii defecerunt regemque sibi constituerunt Lumpisum, qui assumtis rebellibus ivit in Judaeam.

Digitized by Google

narrat. 3. Vit. Hadr. 5,2: 'Lycia denique ac Palaestina rebelles animos efferebant.' 4. Si in Judaea bellum gerendum non fuit, cur consulari eique optime merito quasi praemium virtutis provincia praetoria commissa sit, non liquet. 5. Ad Palaestinam mea sententia, non ad Mesopotamiam spectat illud Xiphilini (Dio 68,32,3): *'ἀλλ' Ἰουδαίους μὲν ἄλλοι τε καὶ Λούσιος ὑπὸ Τραιανοῦ πεμφθεὶς κατεστρέψατο,'* cum de rebellione in Mesopotamia a Quieto exstincta iam antea (cap. 30) satis dictum sit.

Necdum quieta provincia, exeunte fere anno 117, Hadrianus omni gloriae invidens Quietum 'exarmavit' (vit. Hadr. 5,8) et priusquam anno 118 Romam adveniret, carnifici tradidit (vit. Hadr. 7,2. Dio 69,2,5).

24. Claudius Paternus Clementianus.

C. J. L. III, 5776: Cl(audius) Pater[nu]s Clement[i]a[n]us proc. [Au]g. provincia[rum] Jud(aeae) v(ices) a(gens) l(egati), Sardiniae Africae et . . .

Hunc procuratorem ideo inter praesides recensui, quia vices legati egit. Atque ante annum 135 hoc munere eum functum esse, ex nomine Judaeae postea in Syriam Palaestinam mutato apparet. Alia ansa temporis statuendi me deficit.

25. Tineius Rufus, 132.[1])

Euseb. chron. ad. a. 2148 = 132: *ἡγεῖτο δὲ τῆς Ἰουδαίας Τίννιος Ῥοῦφος ὁ καὶ πολεμήσας τοὺς Ἰουδαίους*[2]). cf. hist. eccl. 4,6,1. Hieron. in Daniel. IX, t. V, p. 695 Vallarsi; in Zach. VIII, t. V, p. 852 Vallarsi.

---

[1]) Marquardt, St. V. I², p. 420 n. 4 recte de eo iudicavit, nisi quod leviter erravit his verbis: 'Wenn, wie Henzen in Borgh. III, 64, n. 3 annimmt, dieser Tineius derselbe ist, der 158 cos. war (Orelli 3701), so würde er praetorischer Legat gewesen u. eben deshalb durch Severus ersetzt sein.' Neque enim in nota allata de Tineio Rufo, sed solo de consule anni 158 sermo est, et parum similitudinis intercedit inter nomina Tinei Rufi et Q. Tinei Sacerdotis Clementis, neque verisimile est legato provinciae praetoriae per 26 annos consulatum fuisse exspectandum.

[2]) Male versio Armeniaca: 'sub praeside provinciae Tecinio filio Rôfi.'

Digitized by Google

Nomen apud Eusebium et Hieronymum depravatum egregie restituit Borghesi (III, 62. IV, 167. VIII, 189.581), inscriptione potissimum usus, in qua *K. Τινέιος 'Ροῦφος* scribitur (C. J. G. 4351 cf. C. J. L. VI, 1978), fortasse filius vel nepos legati. Cum illo confertur a Borghesio legatus Thraciae in nummo quodam sic indicatus *ΕΠΕΙΤΕΙ .... ΥΦΟΥ*[1]). Bello Judaico exorto a. 132 auxilio ei venit Publicius Marcellus Syriae legatus, C. J. G. 4033.

26. **Sex. Minicius Faustinus Julius Severus, 133 -135.**

C. J. L. III, 2830 add.: Sex. Minicio Faustino [C?] J[uli]o [C? f]il. Serg. Severo ..... leg. pr. pr. prov. Britanniae, leg. pr. pr. [pr]ovinciae Judeae, leg. pr. pr. [provi]nciae Suriae, huic [senatus au]ctore [imp. Tra]iano Hadriano [Au]g. ornamenta triu-[mp]halia decrevit ob res in [Ju]dea prospere ge[st]as [d.] d. cf. Dio 69,13,2.

Consul a. 127, C. J. L. III D XXXI, p. 874. Dig. 40,5,28,4, cf. Borghesi IV, 167 sqq. V, 68. Simulatque e Britannia arcessitus bellum Judaicum a. 135 confecit, Syriae praepositus est. Quem non esse confundendum cum Tib. Julio Severo Bithyniae correctore (C. J. G. 4033), id quod Dio 69,14,4 commisit, viderunt Zumpt (Comm. epigr. II, p. 10) et Waddington (mém. de l'acad. l. c. p. 218 sqq.; cf. Marquardt l. c. p. 353).

III. Legati Aug. pr. pr. consulares, 135 – ?

27. **C. Julius, C f. Severus, c. a. 160.**

C. J. G. 4029: *Γ. Ἰούλιον Γ. υἱὸν Φαβίᾳ Σεούηρον ... ὕπατον, πρεσβευτὴν ἀντιστράτηγον Συρίας Παλαιστίνης ...*

Consul a. 155, C. J. L. X, 1208. C. J. L. VI, 2086. 2120. 2381 a. b. Cod. Just. 2,1,1.

28. **Commodus, c. a. 161 – 166.**

Eph. epigr. V, 1884, p. 618 n. 1444 (Hiericho):

Imp. Caes [divi] Anton. [f. L. Aurelio V]ero Aug. leg. .... f]ecit [sub .... Com]modo cos.

---

[1]) Eckhel II. 26 cf. Marini. fratelli Arvali, p. 664 n. 101.

Digitized by Google

Consularis fuit certe post a. 161, haud scio an ante 166, cum anno 167 Boethus in Palaestinam profectus sit.

29. **Flavius Boethus, 167.**

Galen. XIX, p. 16 Kühn, *περὶ τῶν ἰδίων βιβλίων* cap. 1 fine: '*ὁ Βοηθὸς ἐξῆλθε τῆς πόλεως ἐμοῦ πρότερος, ἄρξων τότε τῆς Παλαιστίνης Συρίας, ἐν ῇ καὶ ἀπέθανε.*'

Consul incerto anno, Galen. II, p. 215 Kühn: '*Φλάβιος Βοηθὸς ἀνὴρ ὕπατος Ῥωμαίων, ἐξιὼν ἐκ Ῥώμης εἰς τὴν ἑαυτοῦ πατρίδα Πτολεμαίδα*' cf. XIV, p. 627 XIX, p. 13. Cum Galenus pestilentia orta anno 167 Romam reliquerit (XIX, 15), hoc ipso anno Boethus provinciam obtinuit, in qua aliquanto post adventum obiisse videtur, siquidem Galenus interim XVII libros composuit eique misit[1]). De necessitudine inter Boethum peripateticum et Galenum medicum intercedente, item de eius uxore et Cyrillo filio, cf XIV, p. 626 sqq. 638.

30. **C. Erucius Clarus, c. a. 171—180.**

Wadd. ad n. 1842a: '*Ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος ἐτείμησαν Πομπωνίαν Τρ αρίαν, γυναῖκα Ἐρουκίου Κλάρου ὑπάτου, ἡγεμόνος Ἰουδαίας ἀντιστρατήγου τοῦ κυρίου αὐτοκράτορος Μ. Αὐρηλίου Ἀντωνείνου.*

Praenomen exstat Wadd. 1842a = C. J. L. III, 175 add. — Consul a. 170, C. J L. X, 1211. C.J.L. III, 49. VI, 1978. Cod. Just. 3,31,1.

31. **Ulpius Arabianus, c. a. 196?**

C.J.G. 4151: Amastris: *Οὔλπιον Ἀραβιανὸν τὸν λαμπρότατον ὑπατικὸν πρεσβευτὴν καὶ ἀντιστράτηγον τοῦ Σεβαστοῦ Συρίας Παλαιστείνης Αἴλιος Αὐρήλιος Μαρκιανὸς ὁ πρῶτος ἄρχων τὸν ἴδιον εὐεργέτην ὁ φίλος ἐν τῷ ξσ´ ἔτε .*

Cum aera huius urbis ignoretur, quem ad annum Arabianum referant. viri docti ambigunt. Borghesi eum ad Marci et Veri

---

[1]) cf. II, 215 sqq. Namque idem esse iter, quod Boethus in patriam Ptolemaida fecit atque illud, quod ad provinciam administrandum suscepit, patet et ex verbis '*ἔπεμψα καὶ αὐτὴν ἔτι ζῶντι τῷ Βοηθῷ*' (II, 217) et ex temporis spatio inter initium principatus Marci et iter Boethi interiecto, II, 215.

Digitized by Google

tempora reicit argumento non addito (VIII, 190: 'non più tardi degli Augusti fratelli'). Marquardt St. V. I², p. 421 n. 1 proponit annum 196, sed haud scio an cogitari etiam possit de anno 253, quia inde ab anno 747 = 7 certe Amasia et verisimiliter Germanicopolis ac Neoclaudiopolis aeram duxerunt, cf Eckhel II, 345. 387. 389, cf. 385.

32. Achaeus, c. a. 260.

Euseb. hist. eccl. 7,15,3: *ἐν Καισαρείᾳ τῆς Παλαιστίνης ... τὸν δικαστήν (Ἀχαιὸς οὗτος ἦν) ...*

Cum paulo ante (7,13,1) Valerianus a barbaris captus esse narretur, Achaeus c. a. 260 Palaestinae praesedit.

33. Flavianus, Apr. 303.

Euseb. de martyr. Palaestinae, prooem. § 1 : *Ἔτος τοῦτο ἦν ἐννεακαιδέκατον τῆς Διοκλητιανοῦ βασιλείας, Ξανθικὸς μήν, ὃς λέγοιτ' ἂν Ἀπρίλλιος κατὰ Ῥωμαίους, ἐν ᾧ τῆς τοῦ σωτηρίου πάθους ἑορτῆς ἐπιλαμβανούσης ἡγεῖτο μὲν Φλαβιανὸς τοῦτῶν Παλαιστινῶν ἔθνους.* (17./9. 302—17./9. 303.)

34. Urbanus, 304—307.

Euseb. de mart. Pal. 3,1: *Δευτέρου δὲ ἔτους διαλαβόντος καὶ δὴ σφοδρότερον ἐπιταθέντος τοῦ καθ' ἡμῶν πολέμου, τῆς ἐπαρχίας ἡγουμένου τηνικάδε Οὐρβανοῦ* cf. 3,3. 4,8. 8,1.

Idem Palaestinae praefuit nonis Novembribus 307, l. c. 7,5 cf. 7,1. 3.

35. Firmilianus, 308—309.

Eus. de mart. Pal. 8,1: *Καὶ εἰς ἕκτον δὲ ἔτος πνεύσαντος ἐπιμόνως τοῦ καθ' ἡμῶν χειμῶνος . . . Φιρμιλλιανὸς ὁ τῇδε διάδοχος Οὐρβανῷ πεμφθεὶς ἡγούμενος,* cf. 9,5. 11,8. 24. 26. 29.

Munere functus usque ad nonas Martias 309, l. c. 11,30; paulo post gladio interfectus, 11,31.

36. Araxius, c. a. 350.

Liban. epist. 11: *Ἀραξίῳ· Τῆς Παλαιστίνης ἄρχων οὐκ ἠμέλεις τοῦ γράφειν, νῦν πολλῶν ἄρχων ἐθνῶν ἐπελάθου τοῦ γράφειν.*

Sievers, Liban. l. c. p. 213 probavit eum anno 356 procon-

Digitized by Google

sulem Constantinopoleos fuisse[1]). Cumque antea vicarius, ante vicarium consularis Palaestinae fuerit, probabiliter c. a. annum 350 hanc rexit provinciam. Fortasse idem est Araxius Juliani amicus (epist. ad Themist. p. 259 D Spanh.) et praef. praet. anno 365 sub Procopio (Amm. 26,7,6. 10,7), exsul in insulam missus, anno 366 poena liberatus (l. c.).

37. **Clematius, c. a. 357—358.**

Lib. ep. 320: *Κλημιατίῳ· . . . τῷ τὴν Παλαιστίνην ὑπό σου διοικεῖσθαι,* cf. ep. 318. 337. 357. 478. 510. 605. 1384.

Cui anno assignandus sit Clematius, cum supra (p. 23 s.) satis disputaverim, vix habeo quod addam. Huius Clematii iniustam mortem Libanium (epist 605) lugere, non illius, cuius Ammianus meminit (14,1,3) anno 353 Alexandriae trucidati, ex ipsa epistula 605 collata 393 evincitur. Num ad eundem missa sit ep. 328, qua Libanius couingem et socrum Clematii laudibus effert, non diiudico.

IV. Consulares, praesides, duces Palaestinae divisae.

38. **Hypatius, c. a. 359—360.**

Lib. ep. 159: *Ἀνδρονίκῳ· Ὑπὲρ ἀμφοτέρων ὑμῶν, Ὑπατίου δὲ καί σου θαυμαστὴν ἐδεξάμεθα φήμην, καὶ ἔστον τοῦτο, ὃ δὴ καλεῖσθον, ἄρχοντες, ἀκριβῶς. Ἡμεῖς τε οὖν συγχαίρομεν τοῖς ὑφ' ὑμῶν σωζομένοις, ὑμεῖς τε ὡς εἰκὸς ἀλλήλοις· ὁ μὲν ὅτι τοιοῦτος αὐτῷ τὴν πατρίδα θεραπεύει, σὺ δὲ ὅτι πόλεως ἄρχεις, ἣ τοιοῦτον ἤνεγκεν . . . Θὲς δὲ σαυτὸν ἐν Παλαιστίνῃ κτήματα ἔχειν καὶ γεωργεῖν, τῷ δὲ οὐδὲν τῶν σῶν μέλειν, οὐκ ἂν κατηγοροῦμεν καὶ δικαίως; . . .* cf. ep. 156. 157.

De hoc aut consulari Palaestinae propriae aut duce Palaestinae supra verba feci (p. 24). Cum Andronicus Phoenicae praefuerit, Hypatius ex hac provincia ortus est ibique bona possedit. Hunc fortasse consularem intellexit Hieron. vit. Hilar. c. 22, II p. 24 Vallarsi. Diversus est meo iudicio Hypatius

---

[1]) Praeclare insuper coniecit Sievers, C. Th. 6,4,8.9. pro 'Braxio' scribendum esse 'Araxio'; quod si verum est, Araxium huic urbi mense Mai 356 praefuisse confirmatur.

Digitized by Google

cos. 359, Amm. 18,1,1. 21,6,4. 29,2,9.16, et praefectus urbis Romae 5/4 379, C. Th. 11 36,26, cf. Gregor. Nazianz. I, p. 890 epist. 122

39. Cyrillus, c. a. 361—362.

Lib. ep. 599: *Κυρίλλῳ· Χαίρω δὲ ὅτι εἰς ἀρχὴν ἐξ ἀρχῆς, εἰς Παλαιστίνην ἐκ Παλαιστίνης. Εἰ οὖν πρὸς τοὺς γείτονας ἀεὶ τοῦτο προβήσεται τὸ καλόν, ἥξεις δήπου καὶ παρ' ἡμᾶς διὰ τὴν ἀρχὴν βαδίζων.*

Praeses Palaestinae salutaris c. a. 359—360, cf. ep. 166. 170. supra p. 23 s., inde consularis Palaestina propriae, cf. ep. 667, fortasse ille, cui Gregorio Nazianzeno teste (orat. III, p. 91 s.) Julianus imperator turpiter magistratum abrogavit.

40. Leontius, 1/3 363

C. Th. 12,1,55 = C. Just. 10,32,24: Leontio consulari Palaestinae, dat. Kal. Mart. Antiochiae Juliano A. IV et Sallustio coss. (363).

Idem, ni fallor, est consularis Phoenices anno 372, C. Th. 13,1,9, quemadmodum et ipse Proculus de Palaestina decedens Phoenicae est praepositus, Lib. II, p. 412 s. Reiske. Leontii Sidoniis imperantis mentionem facit Libanius ep. 996. cf. 964. 863. 725. 659. Alius est praef. urbis Romae anno 355, Amm. 14,7,14. 15,7,1. 6. Utri Leontio Julianus epistulam (22) miserit, non liquet.

41. Aphobius c. a. 364 365?

Lib. ep. 1510 b. *Ἀφοβίῳ· Ἀφῖκται μὲν καὶ τῶν αὐτοῦ τι διοικησόμενος ὁ γενναῖος Σεβῆρος. μέγα μέντοι καὶ τοῦτον ποιεῖται τὴν Παλαιστίνην ὑπὸ τῆς σῆς γνώμης ἀγομένην ἰδεῖν*, cf. ep. 1499.

Aphobius cum vivo adhuc Acacio, quem paulo post 364 diem obiisse Sievers l. c. p. 277 probavit, provinciam administrarit, cf. ep. 1511, haud scio an recte annis 364—365 attribui possit, nisi ante Clematium eum collocare praefers, cui rei, quantum video, nihil adversatur. Aphobius nescio quis commemoratur a Juliano (ep. 78).

42. Maximus, c. a. 366?

Lib. ep. 683: *Μαξίμῳ· Σοὶ δὲ κατὰ τὸν Ἰφικράτην ἐκεῖνον ἕστηκεν οὐρανομήκης ἐν Παλαιστίνῃ στήλη καὶ ταὐτά σου πρὸς ἄλλον*

Digitized by Google

ἁρπασθέντος πόνον ἀπὸ βαλβίδος εὐθύς. . . . Ἐστήξει δὲ πολὺ σεμνοτέρα τῆς δευτέρας ἀρχῆς, προσθήσω δὲ ὅτι καὶ μακροτέρα, ἐξ ἧς ὁρμώμενος οὐκέτ' ἔθνους ἑνὸς ἀλλ' ὁμοῦ πλειόνων ἐπιμελήσῃ ῥᾷον ἤ τις ἑνός. cf. ep. 287.

Fortasse dux putandus, ep. 725: *τὴν ὑπό σου στρατείαν.* Si idem est ille Maximus, qui c. a. 362 Galatiam (ep. 701 cf. Sievers l. c. p. 230 n. 9), antea Armeniam obtinebat (ep. 278 cf. 283. 689), c. a. 366 Palaestinae praefuit.

43. **Entrechius, c. a. 370?**

Lib, ep. 819: *Ἐντρεχίῳ· Τὰ δ' ἐφεξῆς ἅπαντα τῶν λόγων τούτων, ἀρχαί τε ἐπ' ἀρχαῖς, αἱ δεύτεραι παριοῦσαι τῷ μέτρῳ τὰς προτέρας. ἕως τε βασιλέως Πέρσας ἐληλακότος, καί μετ' ἐκεῖνον ὑπάρχου, φιλανθρώπῳ βασιλεῖ τιμίου, ὡς μετὰ σοῦ τὸ πλέον τῆς οἰκουμένης ἐπελθὼν ἅπαντά σοι πιστεύων, παραδοὺς τὴν Παλαιστίνην ἄγειν, λαμπρότητος ἀφορμὰς ἀπέδωκεν,* cf ep. 13.

Cui cum Julianus Pisidiam mandaverit (ep. 1059), vix sub Theodosio demum Palaestina obvenit, id quod Sievers (l. c. p. 242,9) existimavit.

44. **Proculus, c. a. 375?**

Lib. II, p. 412 s. Reiske (de Proclo): *ἀλλὰ τίς μὲν λοιμός, ὅσος οὗτος Φοινίκων ἀπήνεγκεν; τίνος δὲ οὐ λοιμοῦ δεινότερον τῇ Παλαιστίνῃ κατέστη; ἡ δὲ πλειόνων ἐθνῶν ἀρχὴ ποίων οὐκ ἐγένετο βαρυτέρα πολέμων;* cf. I, 261. 133 sqq.

Post Palaestinae administrationem consularis Phoenices (cf. ep. 857), anno 383 comes orientis, C. Th. 8,4,11. 12,1,103.

45. **Eucharius, $^{12}/_{11}$ 383.**

C. Th. 11,36,28: Euchario, procons. Palaestinae, dat. X Kal. Dec. Constp. Merob. II et Saturnino coss. (383).

46. **Agrestius, $^{31}/_{3}$ 384.**

C. Th. 11.30,42: Agrestium procons. Palaestinae, dat. prid. Kal. Apr. Const. Richomere et Clearcho coss. (384).

47. **Florentius, $^{25}/_{8}$ 385.**

C. Th. 10,16,4: Florentio proc. Palaestinae, dat. VIII Kal. Sept. Const. Arcad. A. I et Bauttone coss. (385).

Digitized by Google

Hunc fortasse proconsulem significat Hieronymus, epist. 108 c. 9, I p. 691 Vallarsi.

48. **Hilarius, 387.**

Zosim. 4,41: *Ἱλάριος δὲ διὰ τὸ μέγεθος τῆς ἀρετῆς ἐπαίνων ἀξιωθεὶς ἄρχειν παρὰ βασιλέως ἐτάττετο Παλαιστίνης ἁπάσης,* (a. 387). cf. Lib. ep. 973. 956. 869. 1025.

Quod 'cunctae' Palaestinae praefectus esse dicitur Hilarius, Zosimo gloriam eius augenti tribuas.

49. **Siburius, c. a. 390?**

Lib. ep. 908: *Σιβουρίῳ· Γενομένων δὲ ἡμῖν πολλῶν ὑπὲρ τούτου λόγων καὶ χωρούντων ἐπὶ τὴν Παλαιστίνην, καὶ οἵας ἄρξεις χώρας καὶ οἵων πόλεων καὶ ὡς θήσεις αὐτὴν ἀμείνω.*

Cum Priscio quidam et sub Hilario (ep. 973) et Siburio (ep. 908. 901 cf. 903) et Gaio (ep. 957) in Palaestina versaretur, Siburius et Gaius non nimis longe ab Hilarii magistratu removendi videntur; cf. Sievers, l. c. p. 269 n. 18.

50. **Gaius, c. a. 391?**

Lib. ep. 957: *Γαΐῳ· . . . τῶν περὶ σοῦ λόγων οἶδα, οὔπω πρότερον τὴν Παλαιστίνην ὑπὸ τοιῷδε γεγενῆσθαι,* cf. ep. 484. 738. Sievers, l. c. p. 199 n. 68.

51. **Priscianus.**

Lib. ep. 1344: *Πρισκιανῷ· . . Βούλομαι δὲ τοὺς ἐν Παλαιστίνῃ τούτων διατρίβοντας τὴν σὴν ἀρετὴν ἔχειν καταφυγήν, καὶ εἶναί σφισιν ἄδειαν καὶ μὴ ἐξεῖναι τοῖς βουλομένοις εἰς αὐτοὺς ὑβρίζειν,* cf. ep. 1339. 269.

Dux, ni fallor, Palaestinae, incerto tempore. Libanius etiam post annum 392 litteris operam dabat, cf. ep. 972. 1028 b. 1029. 1328. 445.

52. **Summus, c. a. 540.**

Procop. bell. Pers. II, 1, p. 155 ed. Bonn.: *Σούμμῳ τῶν ἐν Παλαιστίνῃ στρατιωτῶν ἡγησαμένῳ.*

Digitized by Google

B. Arabia.

1. Fronto.

Wadd. 1907: Bostrae: *Φρόντωνος τοῦ κυρίου ἡγεμόνος ἡ πόλις Ἐπικαρπίῳ Διὶ τὸν βωμὸν ἱδρύσατο, ἐπὶ Σαβείνου Ἀμρειλίου προέδρου τὸ β' καί συναρχόντων.*

Wadd. ad h. l.: 'Cette inscription est le plus ancien texte grec que j'ai rencontré à Bostra et le seul, où on trouve la lettre *Ω* au lieu de *ω*. Je crois donc que Fronton fut légat d'Arabie peu de temps après la conquête et dans la première moitié du second siècle.'

2. [Geı]ninius L. f. Pal. Sextus Florentinus.

C.J.L. III, 87 add. p. 689 = Wadd. ad n. 2349: Petrae: L. Geı]ninio L. f. Pal. Sexto Florentino III viro aur. arg. flando, trib. milit. leg. I Minervia, quaest. prov. Achaiae, trib. pleb., leg. leg. VIIII Hisp., procos. pr. Narb., leg. Aug. pr. pr. prov. A[t]ti[cus] patri pio ex testamento ipsius.

Cum legio VIIII Hispana sub Hadriano imperatore in Britannia periisse videatur, cf. C. J. L. VI, 1549, Florentinus vix post eum Arabiam obtinuit. In hoc magistratu obiit et Petrae sepultus est[1]). Quod Waddington (ad n. 2349) ad eum refert titulum Canathenum hunc:

Φλωρεντεῖνος ἄριστος ἀνὴρ καὶ ὑπείροχος ἄλλων,
οἶκον ἐδείματο τόνδε μετ' εὐκλείης σοφίης ται,

mihi displicet, cum Canatha tum temporis Syriae fuerit adscripta.

3. L. Aemilius L. f. Cam. Carus.

C.J.L.VI, 1333: L. Aemilio L. F. Cam. Karo, cos., leg. Aug. pr. pr. provinciae Cappadociae, leg. Aug. pr. pr. censitori provinciae Lugdunensis, leg. Aug. pr. pr. provinciae Arabiae, curatori

---

[1]) Haec res evincit mea sententia Petram, non Bostram initio sedem legati fuisse, forsitan usque ad Severum. Conveniunt et nummi Petram inde ab Hadriano, Bostram non ante Philippum metropolim vocantes (Eckh. III, 504. 500. De Saulcy p. 351 ff. 362 ff.) et titulus, C. J. L. VIII, 7051 = III, s. n. 87: *Ἀδ[ρια]νῶν Πετραίων μητροπόλεως τῆς Ἀραβίας*, c. a. 169. Neque obstat aut quod leg. III Cyr. Bostrae stativa habuit, cum et in Pa-

Digitized by Google

viae Flaminiae, leg. leg. XXX v. v., praet.. trib. pleb., quaest. Aug., trib. militum leg. VIII Aug., trib. mil. leg. VIIII Hispanae . . .

Legio IX Hispana Carum sicut Florentinum Hadriani fere temporibus adiudicat. Borghesi IV, 159 legationem Cappadociae ad Pii tempus rettulit.

4. P. Aelius Severianus Maximus.

C. J. L. III, 91 = Wadd. 1943: Bostrae: P. Aelio Severiano Maximo leg. Aug. pr. pr. cos. desig. imm(unes).

Anno 161 legatus Cappadociae cum tota legione a Parthis devictus ac interfectus, Dio 71,2,1. Lucian. quomodo hist. conscribenda sit c. 21. 25. 26. Alexander 27. cf. Mommsen, R. G. V, p. 406.

5. Antistus Adventus, c. a. 161—166.

C. J. L. III, 92 add. = Wadd. 1944: Bostrae: . . . . o Antistio Adv[ento] leg. Augg. pr. p[r.] cos. des. [option]es leg. III Cyr.

Quod Waddington ad h. l. exempli causa supplevit [C. Aeli]o, a Mommseno probatur, quamvis nihil certi prae se ferat. Praeterea haec Francogallus doctissimus: 'Il devait être le père ou le frère de L. Antistius Burrus Adventus, cos. en 181. La belle forme des lettres de l'inscription ne permet guère de placer la légation d'Adventus après le règne de Marc Aurèle.' Quod si recte dixit, Adventus sub Marco et Vero Augustis Arabiae praefuit. Idem esse potest Antistius Adventus legatus Aug. pr. pr. Britanniae, C. J. L. VII, 440.

6. P. Julius Geminius Marcianus, 166—169.

C. J. L. VIII, 7050 = C. J. L. III, s. n. 96. [P. J]ulio P. fil. Quir. [Ge]minio Marciano [cos.], sodali Titio, procos. prov. Macedoniae, leg. Augg. pr. pr. [pro]vinciae Arabiae, leg. Augg. su[per] vexillationes in Cappa[do]cia, leg. Aug. leg. X geminae . . . cf. C. J. L. VIII, 7051. 7052. III, 96 = Wadd. 1945. Front. ad Caes. 3,4,

---

laestina legatus non in castris, sed Caesareae versaretur, aut quod Bostrae permulti, Petrae perpauci tituli prodierunt, cum id casui debeatur. Aliter tamen sentiunt Wadd. ad n. 1907 et Mommsen R. G. V, p. 482.

Digitized by Google

p. 43, Naber. Renier, mélanges d'épigraphie, p. 122 sqq. Waddington, fastes, p. 241 n. 158.

Marcianus cum in titulo Bostreno leg. Aug., in ceteris leg. Augg. appelletur, et sub divis fratribus et Vero mortuo anno 169 provinciam administravit. Commodo imperante proconsul fuit Asiae, C.J.G. 2742, Wadd. l. c.

7. [Er]ucius ? Severus, c. a. 169—180.

C. J. L III, 6028 = Wadd. 2057 b.: Umm el Djemal: .... SEVERO LEC AM RP COC DI ... sic fere restituendum: leg. Aug. pr. pr. cos. des.

Coniungendum videtur Waddingtono (ad n. 2057 a) cum hoc fragmento aliud, in quo Marcus imperator indicatur. Num idem legatus intellegendus sit in alius tituli dubia lectione [*'Ερ*]*ουκίου? Σεουήρου,* Wadd. 2070 c., in medio relinquam.

8. M. Caecilius Fuscianus Crepereianus Florianus.

C. J. L. III, 93 = Wadd. 1946: Bostrae: M. Caecilio Fusciano Crep[e]reiano F[l]or[i]ano leg. Aug. pr. p[r.] et M. Caecilio Rufino filio eius e[q]. sing. exerc. Arab. item drom.

9. Q. Flavius Balbus.

C. J. L. III, 95 = Wadd. 1942 : Bostrae: Q. Fl. Balbo leg. Aug. pr. pr. optiones (centuriones) leg. III. Cyr.

10. P. Plotius Romanus.

Orelli 3044 = Wilmanns 1197: Her]cul[i] Victori P. Plotius Romanus cos. sod(al.) Aug. Cl., leg. Aug. pr. pr. prov. Arab. item Gal., praef. aer. Sat., leg. Aug. cens. acc. Hisp. cit., iur. per Aem. Lig. ....

Wilmanns ad vocem 'cos.': 'Quo anno incertum est, non ante M. Aurelium, qui iuridicos instituit, nec tamen multo post, opinor, quia post nomen v. c. non adicitur, quod inde a saeculo secundo exeunte usu venit, nec ullum indicium adest saeculi tertii. Equidem aetati Commodianae adsignarim, cui etiam Herculis cultus apprime convenit.'

Digitized by Google

11. **L. Marius Perpetuus:**

C.J.L. III, 1178: L Mario Perpetuo cos. Dac. III, leg. Aug. propr. provinciae Moesiae super., curat. rerum publicarum Urbis (alvensium) item Tusculanor(um), [p]raesidi prov. Ara[b]iae, leg. leg. XVI Fl., [q]uaes. candid. Aug., trib. latic(l.) leg IIII Scy[th., pr]aes.[i]ustiss.M Ulp. Caius(centurio) [leg.] III Ital. Antoninianae.

Cognomen 'Antoninianae' titulum tempori Caracallae vel Elagabali attribuit, ita ut Perpetuum Severo imperante Arabiae praesedisse consentaneum sit. Diversus est L. Marius L. F. Quir. Maximus Perpetuus Aurelianus cos. II a. 223, rerum Romanarum scriptor, cf. C.J.L. VI, 1450—1453, Borghesi V, p. 455 sqq. 478. Mommsen, Annali 1853, p. 66. Waddington, fastes, p. 253, n. 167.

12. **[Gen]tianus, 209.**

Wadd. 2460: Harran: '*Υπὲρ σωτηρίας τῶν κυρίων Λ. Σεπ. Σεουήρου καὶ Ἀντωνείνου κ ..... υἱῶν αὐτοῦ καὶ Ἰου. [Δόμ]ν. Σεβ. ἔτους ιζ' .... ητιανοῦ ... Σεββ[τε] ...* = Wetzstein, ausgewählte griech. und lat. Inschr., gesammelt auf Reisen in den Trachonen und um das Haurangebirge, Abh. d. Brl. Akad. 1863, p. 255 ff., n. 109.

Waddington ad h. l.: 'La copie de M. Wetzstein est un peu plus complète que la mienne; les lettres entre crochets ... lui sont empruntées'. Mordtmann, Rh. M. 1872, p. 148 supplevit [*ἐπὶ Τερεν*]*τιανοῦ* [*πρεσβ.*] *Σεββ.* [*ἀν*]*τ*[*ιστρ.*]. Hirschfeld cogitavit de Gentiano cos. a. 211, id quod benignissime mecum communicavit.

13. **C. Allius Fuscianus.**

C. J. L. III, 118: Gerasae: C. Allio Fusciano leg. Aug. pr. pr. cos. desig. M. Antonius Gemellus cornicul. Vibi Ctierest (?), cf. supra p. 11.

14. **Arabianus aut Tuscus aut Gellius, 217.**

Vit. Diadum. 8,4: (Cum Diadumenus) audisset auctores quidem defectionis occisos, tamen qui eorum dux Armeniae erat et item legatus Asiae atque Arabiae ob antiquam familiaritatem dimissos, his litteris convenisse patrem dicitur, paribus

missis etiam ad matrem. 9,1 (epist. ad matrem): age igitur, ut Arabianus et Tuscus et Gellius ad palam deligentur.

Borghesi VIII, 191 cum hoc Arabiano confert Domitium Aristaeum Arabianum, sub Julia Domna commemoratum, C. J. G. 3882 g.

15. C. **Furius Sabinius Aquila Timesitheus.**

Henzen 5530 = Wilmanns 1293: C. Furio Sabinio Aquilae Temesitheo proc. prov. Lugud. et Aquit., proc. prov. Asiae, ibi vice XX et XXXX itemq. vice procos, proc. prov. Bithyniae Ponti Paphlagon. tam patrimoni quam rat. privatar., ibi vice proc. XXXX, item vice proc. patrimon. prov. Belgic. et duarum Germaniar., ibi vice praesid. prov. German. inferior., proc. prov. Syriae Palaestinae, ibi exactori reliquorum annon. sacrae expeditionis, proc. in urbe magistro XX ibi logistae thumelae, p r o c. p r o v. A r a b i a e, i b i v i c e p r a e s i d. bis, proc. ration. privat. per Belgic. et duas Germ., praef. coh. I Gallic. in Hispan. C. Atilius Marullus Arvern. et G. Sacconius Aduatus Mediomatric. patrono optimo. cf. C. J. L. VI, 1611: . . . us Timisitheus . . . praef. praetorio. Eckhel VII, 319. Borghesi III, 484 n. 5.

Quem virum bis vice praesidis fungentem non praetereundum duxi. Idem quod permulta alia munera gessit, priusquam praefectus praetorio atque socer Gordiani factus est (cf. vit. Gord. 23,6 ff), probabiliter ante Alexandrum Arabiam obtinuit.

16. **Cl Sollemnius Pac[atianus], c. a. 230.**

C. J L. III, 94 add = Wadd. 1947-1948: Bostrae: Cl. Sollemnio Pac[atiano leg] Aug. pr. pr. v. c. et C[l. Sollemnio] Marino c. p. filiu[m eius] Fl. Severus o[p]ti[o] leg. ı[ı]ı C[y]r. Severianae [Alexandrianae] patronos h. c.

17. **Pomponius Julianus, 236.**

Wadd. 2399 = C. J. G. 4585 add. Kefr-Laha . . . *ἡμῶν* . . . *υἱοῦ αὐτοῦ Σεβαστῶν ἐπὶ Πομπωνίου Ἰουλιανοῦ πρεσβ. Σεβαστῶν ἀντιστρ. ὑπατείας [Μαξιμίνου] καὶ Ἀφρικανοῦ* (236).

Julium Saturninum, Wadd. 2309, cur Syriae addicere malim, supra dixi, p. 19.

Digitized by Google

18. **Marc . . ., 239.**

Wadd. 1908 = C. J. G. 4644: Bostrae . . . *δι]αμονῆς Αὐτοκράτορος Καίσαρος [. . . . ε]ὐτυχοῦς π. π. ἡ κολωνία ἐπὶ Μάρκ[. . . . π]ρεσβ. Σεβ. ἀντιστρατήγου [. . . . ἐπαρχ]είας ἑκατοστοῦ τριακοστοῦ τετάρτου* (239).

19. **M Aelius Aurelius Theo, c. a. 253—260.**

C. J. L. III, 90 = Wadd. 1949: Bostrae: Ael. Aurel. Theonem v. c. leg. Augg. pr. pr. praes. provinc. Arabiae vet integerrimum benignissimum atque iustissim. Statil. Ammianus praef. alae patronu[m] ob multa merita. cf. C. J. L. III, 89 add. = Wadd. 1950: Bostrae: Ael. Aurel. Theoni leg. Augg. pr. pr. cos. desig. optiones (centuriones) leg III Kur. Valerianae Gallianae (sic!) rarisimo et per omnia iustissimo cos. h. c.

Propter legionis cognomina legatus sub Valeriano et Gallieno (253 - 260). Quid illud Arabiae 'vet' sibi velit, nescio; quod Mommsen proposuit 'vetustissimum,' magis dubium mihi videtur, quam quod Waddington ad n. 1949 probavit 'veteris', etsi quo id referendum sit, ignoratur[1]). Praenomen et ceteros Theonis honores invenies in titulo Ariminensi, Orelli 3174.

20. **M. Petrus, 278.**

Wadd. 1909 = C.J.G. 4649: Bostrae: *Ἐκ προνοίας Μρ. Πέτρου τοῦ διασ. ἡγεμ. ἐκτίσθη τὸ τεῖχος ἔτει ρογ' ἐ[πὶ] Ἰουλ. Κυρίλλου* ($^{22}/_{3}$ 278—$^{22}/_{3}$ 279).

21. **Gallonianus.**

Wadd. 1911 = C. J. G. 4645: Bostrae: *Γαλλωνιανὸς ὑπατικ(ὸς) ἔκτι[σ]εν. Ἀγρίππας ἱππικ. ἐπεσκόπ(ει). Χάρη. Βόστρα.*

22. **Coc(ceius)? Rufinus.**

Wadd. 2070 e: Adraa: . . . *Κοκ. Ῥουφεί[νου τοῦ λαμ]προτάτου ἡ[γε]μό[νος].*

23. **Flavius Hierocles, 343.**

Wadd. 2034: Motha: *Ἐπὶ τῆς ἁγνίας τοῦ κυρίου μτουδηη* (?) *Φλ. Ἱεροκλέου[ς] προνοίας* . . . cf. 2035, ubi annus indicatur *σλη'* = $^{22}/_{3}$ 343 - $^{22}/_{3}$ 344.

[1]) Item displicet quod olim conieci 'v(irum) et.'

Digitized by Google

Consularis Syriae a. d. V. Id. Dec., C. Th. 11,36,7 = C. Just. 7,65,2. Anno 347 Theodorus Syriae Coelae praefuit, C. Th. 11,36,9; VIII Kal. Mai 348 iterum Fl. Hierocles, C. Th. 10,1,6. Si idem est Libanii discipulus atque amicus, anno 358 Nicomediae terrae motu defunctus est, Lib. ep. 25 cf. 31 et Amm. 27,7. Praeterea cf. Lib. ep. 485. 431. 393. 382 s.

24. **A. Theodorus,** 15/10 **346.**

C. Th. 9,40,4 = C. Just. 9,47,18: Imp. Constantius A. Theodoro p. v. praesidi Arabiae. Dat. id. Oct. Constantio A. IIII et Constante C. conss.

Krüger ad C. Just. l. c.: 'Praestat anni 346 consulatum restituere (Constantio A. IIII et Constante A. III) quam cum Gothofredo de anno 352 (Constantio A. V et Constantio C.) cogitare, cum Theodorus, ad quem constitutio data est, vix alius sit atque is, quem anno 347 consularem Syriae Coeles esse testatur C. Th. 11,36,8, nec minorem dignitatis administrationem eum postea accepisse probabiliter coniciatur.' Cui sententiae egregie convenit Lib. ep. 1317, ubi Theodorum videmus in Arabiae pulcherrima urbe natum ad *ἀρχὴν πρώτην τε ὁμοῦ καὶ μεγάλην* provectum esse.

25. **Flavius Salvinianus, 351.**

Wadd. 2194: Khirbet el Aradj: *Ἐκ προνοίας Φλ. Σαλουινιανοῦ τοῦ γενεωτάτου δουκὸς τὸ φρούριον ἐκτίσθη ἔτι σμς'.*

26. **Sabiniamus c. a. 655?**

Wadd. 1912 = C.J.G. 8606: Bostrae:

Στῆσε Σαβινιανὸν τὸν ἀοίδιμον ἡγεμονῆα
ἀνθ' εὐεργεσίης ἡ πόλις ἡ σφετέρη.

Waddington eum confert cum comite orientis, cuius Ammianus a. 359 mentionem facit (18,5,5. 19,3,1).

27. **Belaeus, c. a. 361—363.**

Lib ep. 672 b.: *Βηλαίῳ· ... σοῦ γὰρ ἐφεστηκότος Ἀρραβίᾳ,* cf. ep. 1182. 1105. 659. 686.

Juliano imperante provinciam eum obtinuisse patet ex epistulis 730 et 673.

Digitized by Google

28. Maximus.

Lib. ep. 323: *Μαξίμῳ˙ .. ἐπιγιγνώσκεις δὲ ἄρα τὴν Ἀρραβίαν εὐδαίμονα ποιεῖν πάνυ φαύλως ἔχουσαν ὑπὸ τῶν οἴκαδε τάχείνης ἑλκόντων ἀγαθά. Ἀλλὰ σὺ πενέστερος ἐπὶ τῆς ἀρχῆς ἔσῃ, πρὸ τοῦ χρυσίου τὸ ἐπαινεῖσθαι ποιουμένου.*

29. Modestus.

Lib. ep. 1099: *Μοδέστῳ˙ ... νενικηκὼς δὲ τὴν νίκην πρόσθες ἑτέραν, μᾶλλον δὲ ἤδη προσέθηκας, κοινὸς εἶναι δοκῶν Ἀρραβίας οἰκιστής, ὃ οὐκ ἂν ἐκαλοῦ μὴ τῆς φθορᾶς ἐξελόμενος τὰς πόλεις, ἣν κακὸς δαίμων ἐπήνεγκεν.*

Sievers, l. c. p. 232, n. 16 eundem esse suspicatur Palladii fratrem, qui item Arabiae praefuit, ep. 1162: *Παλλαδίῳ˙ ἔγραψε δὲ ὁ σὸς ἀδελφὸς δυσχεραίνων τὴν Ἀρραβίαν. ἐγὼ δὲ πρὸς αὐτόν, ὡς οὐ φευκτέον τοὺς πόνους, ἀφ' ὧν ἂν ἔπαινοι γένοιντο.* De tempore nihil constat.

30. Harmonius.

Lip. ep. 1302: *Οὐλπιανῷ˙ Ἁρμόνιος .... ἐφίσταται δὲ καὶ Ἀρραβίοις ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ σχήματος.*

31. Flavius Bonus, 392.

Wadd. 2293a.: el Kefr: *Ἐπὶ Φ[λ]. Βόνου τοῦ λαμπρ. κόμ. καὶ δουκὸς ἡ ἐκ[κλ]ησία ἐκτίσθη ἔτι σπζ´* (= 392) cf. Arch. epigr. Mitt. aus Oest. 1884, p. 180 n. 4 = Revue archéol. 1884, 2, p. 264 n. 4: Djasim: *Ὁ κύριός μου*[1]) *Βόνος ὁ λαμπρ. πρώτου τάγ. κόμ. καὶ δοὺξ ἄρξας ἡμῶν ἐν εἰρήνῃ.*

Eiusdem, ni fallor, meminit Libanius ep. 955: *Βόνῳ˙ ἡ δέ σε ἐγκωμιάζων ἔχει μὲν ἀφορμὴν τὴν παιδείαν, ἔχει δὲ τὴν ἀρχήν, ἣ μείζω τὴν Ἀρραβίαν ἐποίησεν, οἶκον αὐξήσασα ἕκαστον.*

32. Flavius Arcadius Alexander, 488.

Wadd. 1913 = C. J. G. 8623: Bostrae: ... *ἐπὶ Φλ. Ἀρκαδίου Ἀλεξάνδρου τοῦ λαμπροτάτου σχο. καὶ ἡγεμόνος ... ἐν ἔτει τπγ´, χρόν. ἰνδικτ. ἑνδεκάτης* (= 22/3 1/9488).

---

[1]) Clermont-Ganneau, revue arch. l. c. coniecit *Μ. ΦΛ.* pro *ΜΟΥ.*

Digitized by Google

33. Hesychius, 490.

Revue archéol. 1884, 2, p. 274 n. 24: Bostrae: *ἐπὶ τοῦ μεγαλοπρ. κόμ. Ἡσυχίου ἡγεμόνος καὶ σχο. ἐκτίσθη ἀπὸ θεμελίων τὸ ἡγεμονικὸν πραιτώριον κόμητος πανλαμπρ. καὶ πολιτευομένου ἐπιμελουμένου ἐν ἰνδικτ. ιγʹ ἔτους τπεʹ* (22/3 - 1/9 490).

Addenda et corrigenda.

Ad p. 2: Galenus praetera loquitur de 'Palaestina Syria': VI, 607. XI, 690. XII, 199. 216. Kühn.

Ad p. 5, n. 1: Nuperrime indicem regum Nabataeorum proposuit et ipse Clermont-Ganneau, revue archéologique, 1885, p. 173 s.

Ad p. 11, v. 17 pro Phoenicae lege: Phoenices.

Ad p. 20, n. 2: Galenus XI, 694 Kühn montes circa lacum Asphaltitidem sitos 'Sodoma' appellari dicit.

Digitized by Google

Sententiae controversae.

1. Petra urbs non est antiquum oppidum סלע (2 Reg. 14,7), sed tertio fere a. Chr. saeculo condita.
2. Erotimus rex Arabum, cuius Justinus meminit (39,5,6), idem est atque Aretas rex Nabataeorum (a. 92-48 a. Chr.).
3. Josephus ant. Jud. 14,1,2 non annum 69, sed 66 a. Chr. indicare debuit.
4. Horatius, quo anno praedium Sabinum acceperit, ignoratur.
5. Hor. sat. I, 8 et epod. 5 c. a. 36-35; epod. 17 c. 35-34; epod. 3, sat. II, 1 et 8 c. a. 34-33 a. Chr. composita sunt.
6. Tacitus ann. 3,31 recte dixit 'idem Corbulo'.
7. Polemii Silvii laterculus provinciarum quo anno scriptus sit, non constat.

Digitized by Google

VITA.

Paulus de Rohden, Barmis natus d. 12. m. Dec. a. 1862 Ludovico patre, matre Agatha de gente Schumacher praematura morte infanti mihi erepta fideique addictus sum evangelicae. E gymnasio urbis patriae dimissus ab humanissimo tum temporis rectore Thiele, cui plurimum debeo, inde a vere a. 1881 Lipsiae per biennium scholas adii virorum doctissimorum Brandes, G. Curtius, Delitsch, Drobisch, Fricke, Kahnis, Lipsius, Luthardt, de Noorden, Ribbeck, G. Voigt. Ibidem cum stipendia meruissem, ad revocanda studia Berolinum profectus per quinquies sex menses audivi viros clarissimos Diels, Dilthey, I. G. Droysen, H. Droysen, O. Hirschfeld, Kiepert, Klebs, Mommsen, Paulsen, Schrader, de Treitschke, Weizsäcker, et exercitationibus interfui philologicis atque historicis virorum ill. Diels, Klebs, Mommsen, Weizsäcker, quibus omnibus summas ago gratias.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



IMAGE MIRACULEUSE DE N.D. DU M^T CARMEL.

Digitized by Google

Digitized by Google